


20

DISSERTATIONEM INAUGURALEM MEDICO - CHYMICAM,  
DE  
NONNULLIS  
**MEDICAMENTIS**  
**METALLICIS**  
ILLORUMQUE  
EFFECTU IN CORPORE HUMANO.

AUTORITATE AC CONSENSU GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS  
**PRO GRADU DOCTORIS,**  
SUMMISQUE IN ARTE MEDICA PRIVILEGIIS  
LEGITIME CONSEQUENDIS

D. MAJI AN. CIOGCCXLIII.  
PUBLICÉ DEFENDET

IOANNES GODOFREDUS WENDELIN,  
FRANCOHUSA-SCHWARZBURGICUS.



---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IO. CHRIST. HENDELII, AC. TYP.

MEDICAMENTIS  
MATERIALIBUS

THEOTOMO  
HIERONIMO  
HIEROCORINUS

PROGRADU DOCTORIS  
SOMMARIUS DE MEDICO PRINCIPIS

JOANNES CLOPPETIUS MUNDUS

PRINCIPES SERENISSIMI  
SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
IOANNI FRIDERICO  
PRINCIPI HEREDI  
TERRARUM SCHWARZBURGICO-  
RUDOLSTADIENSIMUM  
CETERA,

PRINCIPI AC DOMINO  
MEO CLEMENTISSIMO.

PRINCEPS SERENISSIME,  
DOMINE CLEMENTISSIME



*N*on minimum certe debitum  
erga Superiores subdito-  
rum est, ut iis de vita sua  
rationes reddant; ac unica hæcce causa  
hanc quoque meam audaciam sufficienter ex-  
cusaret, alia autem adhuc longe præclarior  
factum meum non excusat solum, sed me quo-  
que ad id impellit; **TUUS** nempe, **SERENISSIME PRINCEPS**, incredi-  
bilis scientiarum amor ac in eruditos fa-

vor

*vor singularis. Hac TUA fretus summa clementia TIBI primitias hasce laborum meorum humillima mente offero, persuasumque mibi habeo TE, PRINCEPS SERENISSIME, pro ea, quæ TIBI propria est clementia eas de meliori interpretaturum, ac errores huc vel illuc commissos, exiguae adhuc meorum annorum experientiae adscripturum. Quod reliquum est, imploro summum hujus universi moderatorem passis ad sidera palmis, ut TE, PRINCEPS CLEMENTISSIME, una cum TOTA TUA DOMO SERENISSIMA, ad ultimum usque vitæ humanæ terminum ab omnibus morbis immunem conservet. Tunc enim cuncta virtutibus TUIS Splendidissimis ac votis respondebunt.*

*A 3                  TUAE*

*TUAE interim clementiae totum me meamque fortunam devotissime trado, felicissimumque me judico, si clementia TUAE frui sors mihi erit concessa, omnes vero, et si levissimae sunt, meas curas in id intendam, ut ad ultimam vitae meae lineam ostendam, qua subiectissima devotione sim*

PRINCEPS SERENISSIME,  
DOMINE CLEMENTISSIME,  
SERENISSIMO NOMINI TUO

*devotissimus ac subiectissimus  
servus*

IOANNES GODOFREDUS WENDELIN.



## PRAEFAMEN.

**Q**uanta fuerint discrimina inter medicos Galenicos & Chymicos, quanta pertinacia priores dogmata posteriorum, quorum dux & autor erat PHILIPPUS AUREOLUS, THEOPHRASTUS, PARACELSUS, BOMBAST, ab HOHENHEIM tanquam res novas, (a) illisque temporibus inauditas, aggressi sint; quanta assiduitate e contra posteriores priorum methodum mancam, inutilem, illamque ob causam reiciendam esse affirmaverint; quanta denique inimicitia se invicem prosecuti sint, id iis etiam notum est, qui modo levem rei litterariæ medicæ possident cognitionem. Licet autem tota fere turba medicorum, non coartaneorum solum, sed asseclæ etiam priorum, qui postea vixerunt, dogmata PARACELSI, tanquam absurda, inaudita, perniciosa, & summe impia, ad Gehennam & puerperium suarum

(a) CONRING: *Introductio in universam artem medicam*  
Cap. II. §. 20.

riarum rejicienda esse affirmaverint; non nulli tam  
fuerunt, qui famam ejus læsam & fere prostra-  
tam humo (b) usque ad astra sustulerunt. Quod  
ad nos attinet: nolumus quidem lites virorum do-  
ctrina & ingenio clarissimorum componere, si vero  
contemplemur, etiam ejus adversarios in scriptis  
contra PARACELSUM non modo publice affir-  
masse: eum esse (c) restauratorem chymiae, sed &  
existimasse, studium ipsius ac diligentiam, quam in  
præparatione medicamentorum certorum adhibuit,  
nequaquam esse reprehendendam, sed vehementer  
commendandam; atque simul historias pervalvamus,  
& in illis tam multa mala, etiam gravissima, qua alias  
medicamentis, optimis quoque, cedere noluerunt,  
paucis diebus, quinimo saepè horis (d) a THEO-  
PHRASTO nostro funditus curata esse legimus;  
tunc certe, si aliter adversarii de suis dissentientibus  
bona testari possunt, & non omnis fides historica est  
deperdita, PHILIPPUS THEOPHRASTUS PA-  
RACELSIUS, tanquam chymiz restaurator & pra-  
etius felicissimus, qui summam illam medicinam,  
tam animalium, quam mineralium, quam multi in-  
vita Minerva querunt, & in fine nihil acquirunt, ha-  
buit, est venerandus. Assecræ magni hujus viri sem-  
per ausi fuerunt famam preceptoris suique ipsius  
conservandi non modo, sed & augendi; Illamque ob-

cau-

(b) CROLL. præfatio in Basiliūm Valentīnum.

(c) THOM. ERASTI Dissert. antiparacelsum in præfatione.

(d) von Siegler und Kliphausen täglicher Schauplatz der Zeit  
p. 167. sq. d. 24. Septembr. BRUCKERS philosophische Hi-  
storie p. 1067. seq.

causam, cum opus illud magnum ob genus scriben-  
di obscurum atque ambiguum illorum autorum,  
qui genuine de hac materia scripserunt, longum tem-  
pus quod requiritur ad elaborationem, multasque a-  
lias causas, quas omitto, paucissimis notum fuit (&  
nostris quoque temporibus fere omnes fugit) alia  
invenerunt medicamenta, ex regno minerali potissi-  
mum, quorum nonnulli usu sunt haud exiguo, alio-  
rum vero tota vis consistit in nomine splendido, ho-  
minumque imaginatione prava, qui putant, si aurum  
ineset medicamento, vel lapides pretiosi, tunc se ade-  
ptos esse medicamentum, in quo totam vim superio-  
rum & inferiorum concentratam haberent. Ne-  
sciunt vero s̄epe tale remedium mortem aut accele-  
rare, ob illegitimam præparationem, salia corrosi-  
va, quæ adhuc in medicamento restant, aliasque  
causas; aut tamen nihil efficere, quoniam a menstruis  
nostris non solvitur. In genere enim notatu dignum  
est de remediis ex regno minerali petitis, ne un-  
quam præparentur ab alio, nisi exercitato in Chy-  
mia practico: minima enim circumstantia hic  
neglecta, totam variat rem, totamque medicamen-  
ti invertit naturam; unde medicamentum alias quo-  
que tutum, pessima s̄epe producit symptomata, præ-  
stat emesin, salivationem, spasmos, convulsiones,  
quini mo s̄epe mortem. Tunc si medicus de in-  
vestiganda causa sollicitus est, illamque nusquam,  
nisi in medicamento invenit, remedium optimæ  
quoque alias notæ, atro carbone notatur; me-  
dicamentaque chymica in genere apud imperi-

B tos

tos rei medicæ ad ludibrium recedunt. In animo itaque nobis est, hanc rem tam arduam, ac necessariam in hacce dissertatione pro viribus pertractare. Successit enim mihi in laboratorio viri Illustris TEICHMEYERI, qui chymicis summis nostris ævi merito annumeratur, ac perpetuam seriem experimentorum suscipit, multa non solum experimenta de corporibus metallicis, illorumque resolutione, reclusione intima, ac mixtione videre, sed multa quoque propria manu tentare; Cui quoque Viro pro sua benevolentia ac paterno amore usque ad extremum vitæ halitum immortales gratias ago, mentemque deditissimam offero. Paulo accuratus illam ob causam perlustrabimus illa medicamenta, quæ ex metallis, semimetallis, nonnullisque mineralibus præparantur, & magis in usu sunt præ ceteris: ac monstrabimus simul illorum efficaciam, vel meliorando vel destruendo corpus humanum. Priusquam vero id incipiām, de metallis non modo nonnulla erunt dicenda: tum quoad illorum ortum, tum quoad principia ex quibus composita sunt; sed & de ipsis medicamentis in genere.

Tu vero, summe hujus universi moderator, annue hisce meis laboribus æterna tua sapientia, ut in nominis tui gloriam, proximique emolumen-  
tum cedant.



§. I.

**M**edicamenta sunt corpora vi prædita sanitatem præsentem conservandi, amissamque restituendi. Efficacia illorum consistit vel in evacuacione, vel in alteratione. Hoc sit, si sine magna & sensibili evacuatione in corpus agunt, illud vero, si satis saepe notabiliter vel per alvum, vel per os, vel per urinam, aut in superficie cutis humores evacuantur. Medicamenta neque alterando, neque evacuando in corpus agi possunt, nisi sunt soluta; nam nisi solvantur, non modo ad massam sanguineam penetrare nequeunt, sed ne absorbendo quidem agere possunt. Quo facilius itaque medicamenta solvuntur, eo citius illorum efficacia appetet; quo difficilior vero illorum est solutio, eo tardius auxilium impetratur. Quoniam vero metalla, præsertim nobiliora, tanquam metalla, a menstruis nostri ventriculi solvi nequeunt; illam quoque ob causam nullo modo corpus ab illis alteratur, nisi intime sint reclusa; quod in sequentibus magis magisque enodatur.

§. II.

Quod vero attinet ad ipsa metalla, dividuntur ea in metalla proprie sic dicta, & semimetalla. Metalla proprie sic dicta sunt corpora dura ac gravia, quæ in visceribus terræ generantur, ac post præparationem fundi mallearieque possunt. Semimetalla contra generantur quidem etiam in visceribus terræ, & sunt corpora fusilia, sed non malleabilia.

B 2

§. III.

## §. III.

Quoad generationem metallorum valde autores dissentunt; quinimo fuerunt nonnulli, qui putaverunt, metalla non crescere, sed omnia in prima creatione, quomodo jam iam reperiuntur, a Deo esse creata, quod tamen repugnat rationi & experientiae: nam cum Deus ter optimus maximus omnibus aliis concessit corporibus vim multiplicandi & generandi, cur sola metalla debent esse exclusa? & contrarium quoque per experientiam patet: si enim metallifodina evacuata a metallis, & iterum humi congestitia repleta, annis septuaginta, octoginta, vel nonaginta præterlapsis aperitur, tunc maxima iterum metalli copia reperitur. Ast causa hujus diffensus, uti credo, præcipua est abscondita metallorum productio. Illa enim in gremio terræ peragitur, nemo vero potest oculis suis ad interiora hujus corporis penetrare; & illi, qui metalla e fodinis educunt, sunt homines, quibus de rebus physicis & chymicis nulla est notitia. Illam quoque ob causam nihil de eorum ortu apodictice dici potest; sed sunt hypotheses. Optima vero illarum, cui viri rei metallicæ peritissimi subscribunt, & quæ præ omnibus verisimillima est, ita se habet: quod nempe in magno illo laboratorio subterraneo perpetuo vapores per ignem subterraneum magis magisque ad superficiem pellantur. Hi vapores sive spiritus sunt naturæ vitriolicæ, & arripunt terram, illam resolvunt & faciunt limam, quæ GUR (a) dicitur,  
a me-

(a) Autor catenæ aureæ HOMERI p. m. 174. Eodem loco de generatione metallorum dicit: Terra & lapides sunt mater sive

a metallariis Berg-Milch, (b) hæc lima indies incrasset ac augetur per perpetuam vaporum additionem, tandem aliqualiter solidescit & sit arsenicum, (c) hoc mutatur in marcasitam, atque illa figitur, ac oritur metallum quod purum est, si nempe cuncta principia sunt in æquilibrio summo, terra, quam vapores in GVR maturerunt, pura, calorisque gradus sufficiens. Quo modo vero generantur metalla, eodem quoque oriuntur modo semimetalla, & nil nisi caloris gradus insufficiens horum maturitatem impedivit. Ex supra dictis pater, materiam omnium metallorum esse unam, (d) vapores nempe, qui adscendunt e terræ visceribus, illaque solis accidentiis a se invicem differre. Ac hoc quoque spectant signa metallorum chymica. Auri signum est circulus, argenti duo semicirculi in se invicem conversi, qui si extravertuntur, circulum quoque repræsentant: in ceteris omnibus aut est circulus, aut semicirculus cum signo crucis, quod acidum indicat, ad indicandum, principium metallorum modo esse unum, accidentiis vero illa differre. De qua materia vero plura in tractatione de ipsis metallis ac semimetallicis. Jam veniunt principia metallorum contemplanda.

## §. IV

sive olla metallorum, spiritus volatilis salinus nutrimentum, GVR vitriolicum radix, sulphur sive arsenicum frutex, marcasitum flos, metallum fructus.

(b) BECHERI Physica subterranea. p. m. 176.

(c) Vid. LAZARI ERKERI aulam subterraneam;

(d) Elucidarium RAIMUNDI LVLLII in compendio Alberti magni p. m. 213.

## §. IV.

Ex communi omnium fere chymicorum consensu sunt tria principia, ex quibus metalla componuntur: sulphur nempe, mercurius & sal. Nos vero cum novissimis & exercitatisimis chymicis terram addere volumus: nullum enim in toto terrarum orbe est corpus, si quoque summe volatile est, quod non possideat terram.  
 (a) Ergo etiam in hisce corporibus, tam fixis, necessario terra aderit. Ac hoc quoque ex ipsa metallorum generatione clarum est; generantur enim ex spiritu quodam acido, qui per ignem subterraneum (b) a centro

(a) Corporibus summe quoque volatilebus maximam terræ copiam inesse, ivariis probari posset experimentis, sed sufficit unum: Recipe spiritum flammificum sumantem ac summe volatilem, ex nitro & spiritu vitrioli paratum, uti docetur in physica illustris Teichmeyeri pag. m. 57. misce eum oleo æthereo ac summe volatile, v. g. caryophyllorum genuino proportione anatica, ac statim oritur flamma, si illa cessat, remanet carbo haud exigua, in qua magna pars terræ, antea volatile, nunc vero aliqualiter fixæ, reperitur.

(b) Multi quidem fuerunt, & hodie quoque sunt, qui ignem subterraneum modo in cerebro nonnullorum hominum existere putarunt, sed illius vera existentia facile probatur: ignis enim solaris vix, ac ne vix quidem, ad decem pedes per terræ poros penetrat, quod ex fodinis, in quibus glacies in summa æstate, ab impetu radiorum solis immunitis conservatur, comprobatur, contra vero in fodinis metallicis observatur, gradum caloris ad centrum terræ semper majorem esse, quod fodinae metallicæ in monte sic dico Rammelberg præ ceteris probant, in illis enim tantus calo-

tro terræ ad peripheriam pellitur. Hic spiritus est natu-  
ræ vitriolicæ, & arripit terram fixiorem, illamque dis-  
solvendo in GUR mutat. Sal metallorum primo est sal  
acidum valde corrosivum, quæ vis corrosiva aliqualiter  
temperatur, cum terram dissolvit alcalinam, & adhuc in  
vehiculo pingui ac non satis concentrato, partes cor-  
rosivæ magis sunt involutæ & a se invicem separatae.  
Tunc vero si incipit solidescere & in quasi arsenicum  
mutatur, vis ejus in corrodendis corporibus maxima est,  
donec tandem salia illa corrosiva ac perniciosa, mortifi-  
cata, ligata aut in alcali purum sunt mutata. Si vero  
metalla iterum destruuntur, hocce sal sub pristina appa-  
ret forma. Sulphur, quod in purioribus reperitur me-  
tallis, v.g. auro, est fixissimum & igne naturali incom-  
bustibile, quod difficillime extrahitur; quo vero magis  
metalla bonitate a priori superantur, eo facilius illorum  
sulphura comburuntur, & a perito chymico extrahuntur.  
Quod denique attinet ad principium mercuriale, quod  
metallis inest, valde de eo disputatum fuit, an nempe  
mercurius vivus illis inesset & extrahi posset, (c) an  
vero

caloris gradus est, ut nudo corpore, sudore tamen fere  
diffuentes, in illis vix persistere possint; hoc quoque pro-  
bant montes ignivomi, balnea naturalia calida, multa-  
que alia.

(c) BECHERVS & ROLFINCIVS maximi fuerunt hac in read-  
versarii. ROLFINCIVS, qui magnus quidem erat anatomicus,  
quin imo restaurator anatomiae in Academia Ienensi, edi-  
dit librum contra BECHERVUM, qui appellatur non entia chy-  
mica; BECHERVS vero, qui chymia excellebat, in physica  
sua subterranea possibilitem mercurificationis metallorum  
sulffissime monstravit.

vero sit modo principium mercuriale? Sed magnus ille BECHERUS ac multi quoque alii chymici (d) celeberrimi, possibilitatem mercurificationis metallorum tam solidis experimentis probaverunt, ut nemo adhuc hac de re dubiter. Interim vero non negandum est, metalla secundum leges mixtionis a se invicem differre, & in hoc majorem, in illo vero minorem quantitatem mercurii reperiri: e ferro enim paucissima quantitas mercurii elicitur, quoniam principium terrestre & sulphureum in summo sunt prædominio. Præ omnibus vero semimetalla magnam dant mercurii copiam; in illis enim mercurius non tam intime cum ceteris principiis est mixtus, ac a sulphure fixo coagulatus, firmissimeque ligatus, quam in veris metallis. Contra vero omnia principia sunt adhuc volatilia, aut saltem volatilissari facile possunt, quare vincula sulphuris adhuc molliora & non tam arcta, quam in reliquis clausa, facilius disrumpuntur, servus fugitus et carceribus suis liberatur, ac in genere omnia semimetalorum principia, ob causas jam allegatas, facilius a se invicem separari & in usum vocari possunt.

## §. V.

Quod attinet ad usum metallorum medicum, metalla nobiliora in substantia nihil in corpore faciunt, & generaliter quoque omnia fere metalla ac semimetalla parum in substantia efficiunt, imo saepe majora symptomata producunt; si vero prorsus sunt reclusa, principiaque separata, tunc usu gaudent maximo, sunt enim corpora

(d) STAHLIUS in chymia sua dogmatica & experimentalis.  
DICKINSONIUS in chrysopocia, aliquae viri celeberrimi,

corpora gravissima, ob gravitatem adh̄erent illis liquida  
cujusvis generis, pr̄escertim vero acidum, quoniam est  
gravius ceteris fluidis, illis adh̄eret, edulcoratur,  
ac in sal medium mutatur. Facta hac mutatione in pri-  
mis viis, tunc in corpore ipso, quoniam sunt corpo-  
ra subtilissima, simulque gravia, per vasā minima ob-  
strūcta permeare, obstrūctiones, quae sunt in fieri, decli-  
nare, & jam factas iterum referare possunt.

§. VI.

Si vero medicamenta metallica hosce p̄f̄stare de-  
bent effectus, tunc sequentia in omnibus & singulis no-  
tatu digna sunt:

i) Nempe metalla intime sunt recludenda, illorumque  
principia ita evolvenda ac diradianda, ne ullo la-  
bore in metallum pristinum mutari possint. Quam  
diu enim forma metallica in minimis non est de-  
strūcta; tam diu vera adhuc sunt metalla, vel sint  
in forma liquida, vel sicca, illamque ob causam  
illorum actio in corpus animatum, quoad melio-  
rationem, plane nulla est: medicamenta enim non  
agunt nisi soluta (a). Nam metalla firmissime in-  
ter se coh̄erent & requiruntur spiritus acidi for-  
tissimi modo ad solutionem, a quibus commu-  
ni methodo recludi, illorumque principia intime  
diradiari nequeunt. Si vero acidum homogeneum  
minerale id non p̄f̄stat, multo minus p̄f̄stabat  
acidum valde heterogeneum regni animalis, cuius  
vis multoties a superiori superatur.

C 2) Pro-

(a) SCHOTT: Diss. inaug. de medicamentis insecuris sub  
pr̄fid. Illustr. HOFFMANN, habita §. XIII.

- 2) Probe sunt edulcoranda, & ab omnibus salibus acidis liberanda. Si enim intime recluduntur, tunc salia acida iterum elaborantur; & nisi haec singulari industria iterum separarentur, remedium vitae mortem accelerat. Illa enim salia sunt valde corrosiva & arsenicalia, siue fixiora sunt, ventriculum ac intestina arroduct, & inflammationem, emesin, spasmus, singultum, quinimo gangrenam, sphacelum atque mortem promovent; si autem volatiliora, sunt tunc penetrant ad ipsam massam sanguineam, constringunt vasa subtilissima & inprimis origines nervorum, sufflaminant spiritus animales, tandemque ægrotum ad umbras horridas promovent.
- 3) Sola pars alcalica & alcalina est adhibenda. Acidum enim est principium illud destrutivum, quod jure meritoque tanquam causa plurimorum morborum accusatur; (b) id enim liquida coagulat, obstru-
- (b) Multum hac de re, a viris doctrina præclaris, disputatum fuit, & adhuc quoque disputatur. Acidum ab aliis accusatur tanquam nocivum, ab aliis contra defenditur. Ast si certum est, sanitatem in liberrimo fluidorum cuiusvis generis circulo fitam esse, ac morbos circulo læso, mortemque ei cessanti originem debere, quod hodie nemo negat; tunc id causa omnium erit morborum ac mortis, quod circumlum lædit ac aufert. Multis nunc quidem modis circulus læditur; communissimus vero omnium illorum sunt obstructions. Nulla vero fieri potest obstructio sine coagulo, nullum coagulum humorum corpori nostro similium sit, nisi ab acido: quod per experimenta chymica

obstructiones præstat, mortemque accelerat. Alcali contra sanguinem exaltat atque resolvit, obstructiones reserat, vitamque prorogat.

## §.VII.

ca patet: Ergo est acidum causa plurimorum morborum. Illam quoque ob causam putant viri summi, causam mortis primariam in malo illo, generi humano pernicioſissimo, quod Adamus comedit, latitasse & acidum fuisse. (Ac hæc sane sententia tam absurdæ non est, quam primo intuitu nonnullis apparebit:) Distinguunt enim inter mortem spiritualem & naturalem; illam Theologæ peritis relinquent, de hac vero sententia illorum hæc est: adoranda divina majestas creavit Adamum tanquam creaturam perfectissimam ac immortalem, ex his appareat, omnia principia in summo fuisse æquilibrio, & quādū hoc duravit, tam diu immortalis fuit. Ergo in lapsu necessario principium quoddam predominium acquisivit, quod semper nobis intentat ruinam. Hoc per novam creationem quidem fieri potuisse a creatorē omnipotenti in momento; sed probabilius est causam in ipso malo latitasse. Deus enim, tanquam ens simplicissimum, in productione corporum simplicissima ac facilissima semper incedit via, multo simplicius vero ac facilius fuit, materiam destrutivam per corpus quoddam materiale, quale erat malum, corpori nostro communicare, quam per novum fiat in illo creare. Et si tota illa tristis historia, de lapsu Adami, in sacris literis perlustratur, multo clarior fit nostra, ut dicunt, sententia; Deus enim dicit Genes. III, 22. ne vero Adamus manus extendat & avellat fructus arboris vitæ & comedat, vivatque in æternum, dimittamus illum e Paradiso. Arbor itaque vitæ, tanquam medicina purissima, vim habuit principium destrutivum per fermentum quoddam purum maturandi, summumque æquilibrium restituendi.

## §. VII.

Hisce generalioribus præmissis, nos nunc convertemus ad ipsa metalla, semimetalla ac nonnulla mineralia, atque perlustrabimus medicamenta usitatoria, quæ ex illis præparantur, simul commonstratur illorum effectum vel salutarem, vel nocivum pro viribus. Prusquam vero hæc adgrediamur, dicenda nonnulla sunt de magna illa medicina tam hominum, quam metallorum, quæ sine dubio ex regno minerali paratur, ac lapis Philosophorum appellatur.

## §. VIII.

Multi quidem fuerunt, & hodie quoque sunt, qui prorsus negarunt unquam lapidem philosophorum existisse; si vero neque omnes historiæ pro nugis ac fabulis habendæ, (a) neque juramenta, non unius, sed innumerabilium fere hominum, (b) tanquam perjuria damnanda sunt, nemo certe de illius vera existentia jure meritoque dubitare potest. Est vero lapis philosophorum corpus ab omnibus impuritatibus plus quam perfecte purificatum, vim habens, morbos certe multos in corpore humano extinguendi, ac metalla imperfecta meliorandi. Varia habet nomina, quæ vero nil nisi

(a) vid. Praefation, BASILII VALENTINI von einem Welt-Bürger. A. GOTLOB. B. Vorrede in MONTE SNYDERS tractatum de medicina universalı. Königlich Hermetische special concordanz &c.

(b) Pars altera Scriptorum BASILII VALENTINI p. m. 319. Vorrede IOANN. de MONTE SNYDERS in tractatum de metamorphosi planetarum. Hermetischer Triumph in initio des uhralten Ritter-Krieges, ac omnes fere, qui hac de re genuine scriperunt.

nisi virtutes eius indicant. Dicitur v. g. lapis, quoniam est corpus solidum, tintura, quoniam metalla alba tingeit in rubra, centrum omnium rerum, item quinta essentia ac cælum ob puritatem, oleum incombusibile, quoniam maximam quoque ignis torturam sustinet. Non nulli etiam distinguunt inter lapidem animalem, vegetabilem & mineralem, non vero quod tres essent lapides, sed quoniam animam (uti philosophi dicunt) five spiritum habet, dicitur animalis, quoniam crescit & multiplicatur, vegetabilis; & mineralis, quoniam eminera paratur (c).

### §. IX.

Quod attinet ad materiam, ex qua hæc medicina paratur, illa nobis adhuc ignora est. Fere omnes loquuntur de mercurio, multi quoque de auro, ast an mercurius vivus, aut aurum, uti illud est, ex quibus monetae aureæ parantur, sit, alia est quæstio? Mercurium enim ita figere, ut omnem ignis torturam sustineat, ac nunquam revivisci possit, sunt gordii nodi, aurum vero prorsus destruere, herculeus labor; quare philosophi uno ore dicunt: aurum facilius componitur, quam destruitur. Materia vero lapidis primo prorsus destruenda, ac tandem ad ultimum fixitatis gradum est deducenda, priusquam hæc medicina (ex mente philosophorum) parata est. Nos cum chymicis summis putamus, ex metallis haud nobilioribus ac semimerallis, quorum principia non tam intime inter se sunt remixta, facilius parari posse philosophorum lapidem, quam ex nobilibus

C 3 oribus,

(c) Vid. Apertorium RAIMUNDI LULLII in Alchymischen Sieben Gesetz p. m. 60.

oribus: illa enim facilius destruuntur. Hac quoque de causa nonnulli ex concordantia autorum, tam in figuris hyeroglyphicis, (a) quam in circumscriptione ipsius materiae (b) antimonium veram lapidis esse materiam defendunt. Modus præparandi æque ac materia a veris adeptis, ut HERMETE, BASILIO VALENTINO, THEOPHRASTO PARACELSO, ARNOLDO de VILLA NOVA, GEBERO, RAIMUNDO LULLIO, SENDIVOGIO, ALEXANDRO de SUCHTEN, JOANNE de MONTE SNYDERS, PHILAETA, in uhralsten Ritter-Kriege; aliisque tanta caligine obvelantur, est, ut non divino solum præcipua gratia, sed homo quoque multa in lectione versatus, & ad omnem patientiam induratus, requiratur, qui legendo ac relegendi, tota fere eorum scripta memoria tenere, simulque concatenatam experimentorum seriem instituere possit. Licet vero illa scripta undique tenebris nigerrimis obumbrata sint, apparet tamen ex illis, materiam secundam, uti a philosophis dicitur, non aliter fieri posse primam, nisi per mortificationem, purrefactionem, intimamque destructionem, quum tota materia in Gur primum mutatur. Hoc per ignem & philosophorum vias tectas purificatur, magis magisque subtilisatur, coagulatur, ex nigro in album & rubrum mutatur,

(a) **BASILIVS VALENTINVS** vom grossen Stein der uhralten Weisen p. m. 59. seq. Pandora sive Gab Gottes p. m. 230. seq.

(b) **BASILII VALENTINI** Triumph-Wagen des antimonii. Der uhralte Ritter-Krieg. ALEXANDRI de SVCHTEN antimonii mysteria gemina IOAN. de MONTE SNYDERS Scripta.

tur, tandemque ita figitur, ut fluat in igne sine fumo,  
omnia metalla meliora ac pretiosissima reddat, in omnibus  
fere menstruis dissolvatur, & tanquam summa non  
animalium solum, sed & mineralium medicina, omnes  
illorum imperfectiones, quantum possibile est, tollat.

§. X.

Hic lapis ex sententia philosophorum iterum dif-  
fert gradu: ille enim, qui primo labore præparatur,  
non tam bona notæ est, quam hic, qui in altera mul-  
tiplicatione impetratur: & hic iterum superatur boni-  
tate ab illo, quem filii artis acquirunt in tertia multi-  
plicacione. Cum vero neque preparationem lapidis,  
neque multiplicationem scimus, mittamus illum, nos-  
que ad metallam conferamus, ac paulo accuratius medi-  
camenta, quæ ex illis præparantur, perlustremus.

§. XI.

Iure meritoque initium de auro faciamus: illa  
enim terra flava, tanquam cariosum deorum monstrum,  
ab omnibus fere pro summo habetur bono, ad eos quo-  
que, qui modo hoc possident simulacrum, tanquam ad  
fanum, prope omnes sacras obeunt peregrinationes; &  
hoc non sufficit, sed vulgus quoque putat nullum me-  
dicamentum optimæ esse notæ, nisi aurum illi inesset.  
Quare multa de auro parata sunt medicamenta, sed  
sunt quoque alia remedia, quæ nil nisi nomen de auro  
habent; de superioribus vero hic sermo est. Auri figu-  
ra chymica est ☉ circulus cum puncto in medio, quod  
ejus connexionem maximam & firmissimam indicat;  
punctum vero in medio docet, ad centrum auri omnia  
metalla tendere, & modo per accidentia impediri (§. III.

in

in fine) Est autem aurum metallum gravissimum, quod in docimasia torturam ignis & antimonii summam sustinet. Omnia principia in hoc metallo sunt purissima, in æquilibrio optimo, & a sufficiente calore ad summum fixitatis gradum perducta. Ergo quoque medicamenta ex auro, intime destructo, parata, sunt efficacissima: illa enim nullas impuritates secum invehunt, itaque maiorem illarum quantitatem eliminare possunt. Talia vero medicamenta ex auro rara avis sunt; licet in cunctis fere scriptis chymicis aurea describantur medicamenta. Aurum enim, uti omnes defendunt philosophi, facilius componitur, quam destruitur, sine perfecta vero destructione, nullum verum medicamentum paratur (§. I. & VI. nro I.). Ergo plane nulla, aut pauca ramen, nobis de auro nota sunt medicamenta vera ac genuina, quæ secundum principia auri agunt; sed pene omnia participant de alienis principiis, quæ non raro plus nocent, quam profund, uti ex infra dicendis magis magisque elucescat.

### §. XII.

Optimum medicamentum ex auro paratum, est  
aurum potabile **BASILII VALENTINI**, (a) si nempe  
per-

(a) Hocce aurum potabile describitur a **BASILIO VALENTINO** in parte *Scriptorum chymicorum* II. p. m. 343. seq. de eo pag. 346 ait: tunc habebis verum aurum potabile, (excepto lapide, qui etiam aurum potabile dicitur) ex quo unquam corpus quoddam (nempe metallicum) reduci potest. Hoc medicamentum animam, sive tinturam, vel sulphur auri in se concentratum haber, & tingit quoque si in forma secca preparatur, corpora metallica ad perfectionem auri deducta, quibus nil nisi color deest flavus, ast

per spiritum salis dulcem (b) anima auri extrahitur, a tinctura illa extracta, spiritus evaporatur, deciesque edulcoratur: miscetur cum spiritu mercurii, (c) immititur balneo vaporum, donec tota massa ab aqua mercurii est soluta, tunc miscetur cum duplo spiritus vini rectificatissimi, digeritur per dies quindecim, destillatur per alembicum, & impetratur tinctura purpurea. Aliud adhuc in **BASILIO VALENTINO** describitur aurum potabile, cui tamen, ut ipse ait **BASILIUS VALENTINUS**, supra descripturn longe antecedit. Infini-  
tæ aliæ compositiones auri potabilis in omnibus fere chy-  
misticis scriptis reperiuntur; (d) sed omnes secum vehunt  
non metallum solum, sed & ut plurimum salia corro-  
siva, cum quibus dissolvuntur, & quæ ab illis separari  
nequeunt, nisi ipsa solutio præcipitur ac sic totum au-  
rum potabile disparet, illamque ob causam omnia plus  
nocent quam proslt (e). Quare **CROLLIUS** in Basi-  
lica

ast quoniam processus non una describitur serie, ac multa  
posita sunt ambigua, non cuivis contingit adire corinthum.

(b) Hic non de spiritu salis dulci vulgari loquitur, sed de  
illo, qui a **BASILIO VALENTINO** in suo particulari de au-  
ro describitur.

(c) Spiritus mercurii reperitur in **BASILIO VALENTINO**  
p. m. 329. in parte II.

(d) vid. de **SPINA** Lexicon pharmaceutico-chymicum p. m.  
160. seq. ac descriptum invenies aurum potabile **HART-**  
**MANNI**, **SPENNETTI**, **KESLERI**, **REGVINI** sine corro-  
sivis, cum corrosivis, per antimoniatam, cum spiritu bezo-  
ardico &c. **Londinense** **QVERCETANI**, **BILLICHII**,  
& reliqua; huc quoque pertinet aurum vitæ **CLOSSAEI**.

(e) Non negamus quidem, alias adhuc in scriptis philosopho-

D rum

lica sua chymica recte ait: auri potabilis sive putabilis potius, multas irrito conatu, post temporis & sumtu-  
um jacturas, in igne examinaverim &c. Multa adhuc  
sunt medicamenta in forma liquida, quae aut nomen  
de auro habent: v. g. Gold-Tinctur, quibus auri tamen  
nihil inest, aut quae aurum quoque visibiliter in se conti-  
nent, de ejus effectu vero nihil participant, ut v. g. aqua  
carbunculi aurea. Illa vero omitto, quoniam spurii atque  
supposititii sunt liberi, qui de patre nil nisi nomen  
habent.

### §. XIII.

Inter præparata ex auro in forma solida, aurum  
fulminans præ aliis est notissimum, nomenque accepit  
a fulmine, fragoreque apparente, si calori appropinquat.  
Ipsa præparatio diverse quidem apud autores describi-  
tur, (a) in fundamento vero parum differt: optima ve-  
ro est, si auri granulati & purificati pars una, cum tri-  
plo, vel quadruplo aquæ regis solvitur, ac præcipitatur  
oleo tartari per deliquium, vel spiritu urinæ, vel spiri-  
tu salis ammoniaci, tandem per aquam simplicem affu-  
sam a salibus, quantum fieri potest, edulcoratur ac in  
usum conservatur. Si ad hunc laborem drachmas tres  
auri sumisti, impetrabis post edulcorationem unciam se-  
mis; quod manifestissimum est indicium, salia menstrui  
simul

rum modos aurum potabile præparandi, repetiri; sed illi  
tam obscure, quam ipse lapis philosophorum descripti sunt,  
& hoc modo dicitur de scriptis chymicis vulgarioribus.

(a) De SPINA Lexicon pharmaceuticum, in illo describitur  
aurum fulminans ZWELFERT p. m. 158. LEMERY pag.  
159. III. TEICHMEYERI chymia p. m. 213.

simul præcipitari, ac ita cum auro mixta esse, ne levem  
timeant hostem; per sulphura vero expelli queunt. Ac  
tota quoque hujus medicamenti actio, quæ purgans est,  
si majori adhibetur præbio, (b) alias vero, si ad summum  
ad grana tria propinatur carminativa, sedativa & anti-  
spasmodica, ex mente nonnullorum; consistit in sa-  
libus menstrui, quorum corrosivitas a particulis aureis,  
quibus adhaerent, temperatur. (c) De auro enim aut ni-  
hil aut exigua certe pars intime est reclusa, (d) aurum  
vero, tanquam aurum, in corpus agere nequit, quoniam  
non dissolvitur a succis nostris. Salia vero illa corro-  
siva ac destruētiva ita mutari posse, hoc variis probatur  
experimentis. Spiritus vitrioli dulcis, nitri & salis dul-  
cis, mixtura simplex, tinctura bellidis, liquor Dianæ,  
liquores anodynæ minerales, aliique hoc satis probant:  
hi enim omnes præparantur e spiritibus acidis corrosi-  
vis, interim corrosivitas in nonnullis ligatur, diluitur  
ac involvitur, in aliis vero, quod melius est, pror-  
fus expellitur, & apparent remedia in omnibus morbis  
acutissimis exoptatissima.

## D 2

## §. XIV.

(b) Purgandi fine hocce medicamentum nemini commendo,  
salia enim corrosiva sunt ligata quidem, corrosivitas vero  
non prorsus demta est, ac sic in majori præbio facile peri-  
culum inducit.

(c) Vid. ETTMULLERI opera omnia in compendio p.  
m. 100.

(d) Hoc apparet quoniam non solum reduci potest in verum  
aurum, eum sulphure, sed si calori admotum incenditur, &  
nummus argenteus antea ipsi imponitur, tunc ille sussum  
movetur, & in certo spatio deauratur.

## §. XIV.

Multa alia præparantur ex auro medicamenta  
 Aurum fulminans cum spiritu vini mixtum & accensum.  
 dat flores, illisque adscribitur vis sudorifera, sed sicuti  
 aurum fulminans, ita etiam ejus flores reducuntur in au-  
 rum. Præparatur quoque ex auro fulminante POTE-  
 RII aurum diaphoreticum, (a) aliud quoque aurum dia-  
 phoreticum describitur ab Illustri TEICHMEYERO (b)  
 alii denique habent sal auri, (c) sed vires ejus a salibus  
 salis communis, nitri & aluminis dependent. Huc quo-  
 que pertinet Bezoardicum solare Crollianum (d) &  
 ZWELFERI, crocus solis, (e) cui vis diaphoretica ad-  
 scribitur, ac innumerabilia alia, ex auro præparata ;  
 sed cuncta possunt reduci in id, quod antea fuerunt,  
 in aurum nempe, & sic quoque effectus non auro, sed men-  
 struis, illorumque salibus juste adscribuntur, ac sic illa  
 omittimus (f).

## §. XV.

(a) Vid. ETTMULLERI opera omnia in compendio p. m.  
 100.

(b) Vid. TEICHMEYERI chymia p. m. 212, hoc quidem au-  
 rum diaphoreticum reducitur, sicuti omnia alia, sed p. m.  
 277. docet, quomodo per fluorem album, si funditur cum  
 auro diaphoretico, sulphur aurum tingens extrahitur, ita  
 ut remaneat regulus album; sal vero apparet ad instar ru-  
 bini. Ex hoc sale parari potest Tinctura, ac illa non omni  
 vacat usu sanguinem mundificandi.

(c) Præparatio docetur in BLANCARDI chymia p. m. 39.

(d) De SPINA Lexicon pharmaceuticum p. m. 213.

(e) Pharmacopœa Augultana p. m. 317.

(f) In genere huc monendum est, nobis nunquam in men-  
 tem venisse omnia & singula medicamenta, quæ ex metal-  
 lis

## § XV.

Ex his appetet, omnia fere medicamenta ex auro parata, quoad usum verum, quem præstant in corporibus, salvo officio, a medico prudenti e medicina eliminari posse. Longe vero aliter res se habet, si de hominum imaginatione sermo est, tunc enim, si aurea desiderantur remedia, facile illa propinari possunt. Caveat vero sibi medicus, ne talia adhibeantur, quæ periculum inferre possunt. Illam quoque ob causam, vel modo nomen hisce remediis dare potest aureum, cum tamen nihil de auro illis insit, v. g. Gold-Tinctur appellare potest omnes tinturas rubras ac flavas, licet nihil de auro participant, vel illis folia auri inserere potest, uti v. g. in aqua carbunculi aurea. Talia quoque auri folia immiscere potest pulveribus & tunc dicere Gold-Pulver. (a) Id vero præsertim in ictero, (b) lipothymis, in affectibus cordis, ut palpitatione, anxietate præcordiorum aliisque est observandum: vulgus enim pu-

D 3 tat

lis præparantur, huc, tum quoad usum, interdum sat exiguum, tum quoad compositionem, describere; nam si hoc fieret, non dissertatio, sed liber esset conscribendus. Sufficit, si modo notissima describuntur, tum quoad usum, tum quoad compositionem, aut libri commendantur, in quibus reperiiri possunt.

- (a) Multa alia reperiuntur in Machiavello medico.
- (b) Quoniam in ictericis totum corpus flavedine tinctum est, tunc putat vulgus, aurum, quod etiam colore flavo gaudet, in hoc morbo esse specificum, illamque ob causam in vase deaurato potum ægroti propinant, aut monetam auream injiciunt potui, & hoc quoque concedi potest a medico prudenti, quoniam nihil nocet.

tat aurum esse remedium cordiale, & possidere vim laetificantem, sed illa, equidem ut credo, vis major est in loculo, quam in poculo.

## §. XVI.

Ordine nunc sequitur argentum. Signum ejus sunt duo semicirculi, qui semilunulam > repræsentant, & si intraversus extravertitur, apparebit circulus, ad indicandum, argentum, sive lunam, uti a philosophis dicitur, esse metallum cuius principia, auro excepto, sunt purissima, firmissimoque nexu juncta. His de causis luna difficillime destruitur, ac licet in aqua forti invisibilis facta sit, iterum tamen præcipitari potest tanquam verum argentum; quæ præcipitatio communissime cupro sive salibus peragitur: sustinet quoque torturam ignis & plumbi, sed antimonium infensissimum ejus est hostis, qui semper triumphans id secum dicit, nisi sit prius purificatum & in lunam fixam muratum. (a) Est vero argentum metallum album, quod solvitur aqua forti, in illaque solutum, eam nullo colore tingit, cuius pars una cum decem & sex partibus saturni remixta, in catino docimastico, saturno expulso, vel incinerato, remainet sine corporis sui immunitione. Ex supra dictis apparet, argentum difficillime destrui; ergo concludere possumus: multa ex illo parari medicamenta, quæ nil nisi nomine de illo participant. Si vero recludatur intime, & terra, ejus salino-alcalica, satis copiosa, a sulphure ac mercurio ita separetur, ut omnes labores chymici

fru-

(a) Alchymia denudata p. m. 108. seq. docet, quomodo per cementationem luna fixa præparari possit, varias docet vias, ac in omnibus de luna fixa aliquid impetratur.

frustra adhibeantur in reductione; tunc medicamenta impetrantur, quæ illa, ex auro parata, ordine sequuntur. Varia medicamenta e luna parata tam interna, quam externa in officinis prostant, alia quoque describuntur ab alchymicis, quorum optimum illud est, quod a philosophis in genere alba tinctura die weise Tinctur, appellatur, (b) & nihil aliud est, quam lapis philosophicus immaturus, ut fere omnes testantur adepti. **BASILIUS VALENTINUS** in parte secunda scriptorum suorum etiam de argento potabili loquitur; sed disperse id describit, & tam obscure, ut in modo procedendi facile errores possint committi. Multa insuper in scriptis chymicis describuntur argenta potabilia, (c) sed quod de auro potabili dictum est, & hoc quadrat: omnia enim illa reduci possunt in verum argentum; ergo tota illorum vis consistit in sale peregrino, ac sic jure omituntur. In genere tandem de omnibus medicamentis, ex argento paratis, notandum est; lunam non crudam, & ut saepe fit, venere mixtam, sed per saturnum ab omnibus quisquiliis liberatam, adhibendam esse.

### §. XVII.

In antecedenti paragrapho egimus de præparatis e luna in forma fluida, jam pertractabimus illa, quæ in forma sicca prostant. Primum huc occupat locum præcipitatum

(b) Alchymisches Sieben-Gesirn p. m. 44. Scripta **BASILII VALENTINI** p. m. 443. Introitus apertus ad occlusum regis palatum **PHILALETAE** p. m. 68 &c.

(c) **FRIDER. HOFFMANNI** Clavis Pharmaceutica Schröderiana pag. m. 219. seq. **IOANN. SCHROEDERI** thesaurus pharmaceuticus p. m. 375. seq.

pitatum lunæ per muriam, sive tinctura lunæ, sive germanice das Marron-Pulver, quod ita paratur: Recipe lunam cùpellatam, solve aqua forti, aut spiritu nitri, solutionem præcipita sale communi, præcipitatum edulcora aqua simplici, donec remaneat pulvis insipidus, tunc hancce habebis medicinam, quæ in mania & melancholia valde laudatur (a). Si ad tincturam lunæ recipiatur uncia semis, impetrantur drachmæ quinque pulveris, manifestissimo indicio, partes salinas tam menstrui, quam præcipitantis, simul cum luna misceri, & illis salibus primarius effectum esse addicendum: argentum enim reduci potest (b). Illa vero salia ab argento tanquam corpore alcalico, sunt alcalisata, illamque ob causam acidum, vel volatile, vel fixum secum e corpore eliminant. Interim tamen facile talia remedia degenerare possunt in deterius, quare quam cautissime non solum sunt præparanda, sed & adhibenda. In nonnullis quoque reperitur officinis argentum hydragogum Angeli Salæ: (c) hoc paratur ex nitro finissimo & cristallis lunæ, quæ impetrantur, si solutio lunæ evaporatur. Recipiuntur nitrum & cristalli lunæ proportione anatica, in triplo aquæ simplicis solvuntur, sine ulla præcipitatione miscentur, usque ad cuticulam evaporantur, tunc cristallisantur in loco frigido, humidum decantatur & iterum ad cuticulam evaporatur, omnes crystalli colliguntur & exsiccantur leni calore: ut omne acidum evaporetur,

&amp;

(a) TEICHMEYERI chymia. p. m. 212.

(b) Si calx lunæ per muriam funditur in crucibulo, quod leni succedit igne, impetratur luna cornæ.

(c) BOERHAVII chymia p. m. 916.

& materia, sed non fusa, remanet in fundo, hæc conservatur in loco sicciori. Hujus pulveris grana sumantur duo, secundum BOERHAVIUM, (d) sacchari grana sex, & farinæ scrupulus semis; miscentur cum aqua simplici, & fiant lege artis pilulæ hydragogæ leniterque purgantes. Sed totus quoque usus harum pilularum a sale dependet, quod cum luna commixtum, intestina ac ipsa corpora mammillaria in renibus stimulat, ita ut urina, quæ antea ob defectum stimuli renum parce eliminabatur, nunc copiose fluat. An non vero, præsertim in morbi initio, alia remedia adhiberi possint, quæ sint tutiora, nullaque corrosiva corpori inducant, uti v. g. salia ex incineratis herbis parata, id iis dijudicandum relinquimus, qui majorem in re medica possident scientiam. Porro quoque Bezoardicum lunare ZWELFERI a nonnullis laudatur, quod conficitur, si lunæ uncia una solvitur spiritu nitri, & butyri antimoniï dupla vel tripla major proportio eodem dissolvitur menstruo, (e) tumque hæc duæ solutiones inter se mixtæ, in cucurbita virtea, igne arenæ ad siccitatem massæ albæ viridescentis destillando abstrahuntur; massæ autem residuæ denuo spiritus nitri affunditur & abstrahitur, idque tertia vel quarta vice repetitur, ignem ultimum fortissime urgendo. Qua ratione, si massa post destillationem peractam semper subtilissime contunditur, & per aquam affusam ab omnibus salibus corrosivis, quantum fieri potest, liberatur, obtinetur remedium in epilepsia, apoplexia, mania, paralysi, omnibusque morbis,

E                      in

(d) BOERHAVII chymia p. m. 906. usque ad 910.

(e) De SPINA Lexicon pharmaceuticum p. m. 210.

in quibus nervi afficiuntur, excellentissimum. Re vero accuratius pensitata omnis operatio deducenda est a salibus, quæ cum argento sunt mixta. Quid itaque est, tam herculeos subire labores, & cur per invia tendere volumus, si recto tramite ingredi licet? Quare longe melius erit, si talibus remedii e medicina eliminatis, liquores anodynus minerales in usum vocamus, de quibus aut per nos ipsos, aut per exercitatos pharmaco-pœos præparatis, certi sumus, nihil corrosivi in ipsis remanere, eosque tutissime in legitima dosi adhiberi posse (f). Illamque ob causam multa alia ex argento præparata interna omittimus, quoniam omnia, sicut iam allata, reduci possunt, ut tota illorum activitas in sale peregrino consistat. Pergimus igitur ad externa.

## §. XVIII.

Activitas omnium externorum e luna paratorum, (uti & internorum) salibus menstruorum originem debet, ac modo refrenatur a luna. Omnia enim nobis nota, tanquam corrosiva agunt, quæ modo gradu a se invicem distinguuntur. Primum certe locum occupat ipsa solutio lunæ, quæ maxime corrodit, ac si verrucæ & calli exterioribus modo labris illa attinguntur, succi excluduntur, qui tanquam partes a communi vitalitate separatae decidunt. Si cuticula hac solutione tangitur, statim maxima nigredine obducitur, a tunica mucosa disjungitur, & in forma squamarum a corpore separatur. Ob vim suam causticam commendatur etiam ini-

(f) D. SCHOTTI Dissert. inaug. sub Praesidio Illustr. HOFFMANNI de medicamentis insecuris §. XVII.

initio cancri (a) ad extirpandam luxuriantem carnem;  
 & quoniam nigredinem inducit, applicatur a nonnullis  
 personis sexus sequioris, si nivea canities id prodit, quod  
 tamen lubentius tenebris densissimis obnubilare vellent,  
 ipsas nempe jam ante annos quadraginta tutelam rece-  
 pisce. Hanc sequitur luna caustica, sive lapis infernal is,  
 (b) qui sequenti paratur modo: Solutio lunæ cum aqua  
 forti facta igne arenæ evaporatur, ac in loco frigi-  
 do cristallifatur: cristalli magno immittuntur cru-  
 cibulo, lenique calore ebulliunt; ebullitione cessan-  
 te ignis augerur, massa funditur, effunditur, & ad  
 usum in loco sicco servatur. Hic lapis optimum est  
 causticum, omnibusque in locis tutissime applicatur:  
 summa enim corrosivitas per ignem fuit expulsa, reli-  
 qua vero salia cum luna sunt remixta, quæ illorum acti-  
 vitatem aliqualiter retardat, ne tanta vehementia agant,  
 quanta spiritus flammificus, oleum vitrioli, solutio lu-  
 næ, solutio veneris, aliaque agere solent. Vitriolum  
 lunæ etiam est corrosivum, sed quoniam superiora jam  
 sufficient & hoc quoque parum ab illis differt, remit-  
 timus lectorem ad chymiam Boerhavianam (c), cetera  
 simul medicamenta ex argento parata, quorum usus  
 haud est eximus, prætermittentes.

§. XIX.

Cuprum, sive venus, est metallum imperfectum,  
 rubrum, quod, si solvitur aqua forti, menstruum cœru-  
 leo viridescente tingit colore, ac si loco humidiori con-  
 servatur, superficies eius crusta viridi obducitur. Signum

E 2                      cupri

(a) BOERHAVII chymia pag. m. 901.

(b) De SPINA Lexicon pharmaceuticæ p. n. 591.

(c) BOERHAVII chymia p. m. 901.

cupri est circulus cum cruce in parte inferiori ♀, quod indicat, hoc quidem metallum ad aureitatem inclinare, sed ab acido aliqualiter fixo, & intime remixto corrumpi. Uſus veneris major est politicus & alchymicus, quam medicus; sunt vero etiam medicamenta, quæ ex illa parantur, tam interna, quam externa, quorum infra nonnulla perlustrabimus. Duplex in venere reperitur sulphur, unum, quod combustibile est, & appetet, si minera cupri ex metallifodinis educta igne lento (durchs röſten) præparatur ad fusionem. Arque hoc est sulphur commune; sed aliud adhuc in ſe continet sulphur incombustibile, (§. XX.) naturæ solaris. Dein falia quoque in maxima adsunt quantitate in cupro, quæ tamen sunt corrosiva, deſtructiva, ac uno verbo, arſenico vitriolica. Hoc appetet, si vas cupreum loco conservatur humidiori: tunc enim brevi tempore obducitur crux viridi, cuius ſapor ſat diſtincte naturam prodiit vitriolicam. Effectus vero, qui in vomitu conſiſtit, de præſentia arſenici teſtatur. Quoniam itaque falia illa corrosiva vitriolica, quæ veneſi insunt, tam facile ab aqua ſimplici, quinimo humido aëreo elixantur, id multo magis per aquam calidam, & acida, calore interdum accedente, fieri potest. Vnde appetet, quam inique iū ſecum agant, qui in ollis cupreis cibos non ſola aqua, ſed cum ſale etiam, & acidis interdum præparare ac decoquere ſolent. Hic enim revera dici potest mors in olla. (a) Etenim falia illa corrosiva vitriolica, calore & menſtruis ſui juris facta, alimentisque commixta, ſimil cum  
inguo  
hisce

(a) Vid. Fafcicul. I. Diff. Ill. SCHVLZII Diff. IV. Mors in olla p. 152. ſeqq.

hisce corpus intrant, sensim sensimque ob vim stipticam & constringentem vasa subtilissima constringunt, ac liquida coagulant; unde causa non morborum solum infinitorum, sed & mortis obvia est. Enimvero nos modo hanc, modo illam rem, forsitan innocentem, accusamus tanquam causam morbificam; sed eamus modo in culinam, eamus inquam, & visitemus vasa coquinaria, tunc apparet causa morborum innumerabilium & mortis præmaturæ manifestissima. Rebus sic se habentibus equidem omnibus ac singulis, qui vitam ob variis morbos mestast gerere, mortemque anticipare nolunt, usum vasorum ex cupro paratorum in culinis dissuadeo. Qui vero vasa cuprea non profructus eliminare volunt, aut possunt, illis commendo, ut vasorum superficiem internam stanno obducendam curent.

## §. XX.

Alchymici, præ omnibus aliis principiis veneris sulphur querunt, utpote quod non maximam solum convenientiam habet cum sulphure solis, sed illi re vera simile est. Valde enim auri colorem exaltat, ac si sulphur solis extrahitur, aurumque in regulum album ac quasi argenteum mutatur, secundum colorem iterum a sulphure veneris tingitur, ita quidem, ut neque maxima ignis tortura, neque saturnus, neque ipsum antimoniunum fixissimum illud sulphur auro eripere valeant (a). Si etiam luna per cementationem ita figitur, ut in omnibus, excepto colore, auro similis sit, (b) tunc tingitur

E 3 sulphur

(a) Celeberrimi TEICHMEYERI chymia p. m. 277.

(b) Alchymia denudata in fine von der cementation des Sikkhers.

sulphure veneris : ac hæc duo per mercurium sublimatum ita confirmantur, ut rigorosissima quoque examina auri, in imperio Sacro Romano usitata, sustineant. Hocce sulphur variis extrahitur modis; optimi vero, equidem ut credo, describuntur ab Illustri TEICHMEYERO (c) & autore alchymiae denudatæ (d). Notatu vero dignum est, sulphur veneris nunquam tinge, nisi accedat mercurius sublimatus, qui hæc duo copulara confirmat.

### §. XXI.

Medicamenta ex venere parata sunt vel interna vel externa. Interna fere omnia sunt infœcera, ac maxima cum cautione adhibenda. Agunt enim secundum principia vitriolica, illamque ob causam facillime vomitus, cardialgia, aliaque mala symptomata creant. Quapropter pauca de illis attingemus. (a) Cel. BOERHAVIUS præ ceteris commendat interne in hydrope, cachexia & cacochymia (b) solutionem veneris cum spiritu salis ammoniaci, si nempe veneris limatura cum spiritu salis ammoniaci in proportione duodecupla solvitur, decantatur, & sic ad usum internum conservatur. In usu vero primo die tres, secundo sex, tertio duodecim, quarto viginti & quatuor guttulae assumuntur, & ultima dosi usque ad restitutionem cum aqua mellis, tan-

quam

(c) Ill. TEICHMEYERI chymia p. m. 278.

(d) Alchymia denudata von der exaltation des Goldes zu dem particular mit der luna.

(a) Qui multa ex venere præparata, tam interna, quam externa legere vult, hic HOFFMANNI clavem pharmaceuticam Schroederianam, & JOAN. SCHROEDERI thesaurum pharmaceuticum sibi commendatum habeat.

(b) BOERHAVII chymia p. m. 928.

quam vehiculo, (ea enim salia, quæ adhuc corrositatem possident, involvit) continuo pergitur. Ex præxi quoque sua b. vir affirmat, hancce tinctoram urinam valde stimulare, ac sic lympham illam viscidam e corpore eliminare. Illa tinctora ex mente præclarissimorum nostræ scientiæ virorum est optima, præsertim si cum calce viva iterum rectificatur, qua ratione salia corrosiva, quæ ab alcali spiritus salis ammoniaci non prorsus sunt extincta, separantur; ac imperatur liquor, qui omnes virtutes possideret, quibus liquores anodynæ minerales gaudent. Ab aliis solvitur venus in aqua fortis, filtratur, ad dimidium evaporatur, & (proh dolor) tanquam emeticum propinatur interne, sed dubitandum est, an successus spiei respondeat. Aqua fortis enim, ubi in officinis asservatur, est corrosivum; multo magis ergo tale evadit, si non solum per solutionem veneris acuitur, sed etiam per evaporationem concentratur: tunc enim salia vitrioli ac arsenici veneris cum aquæ fortis corrosivis, quæ corpori nostro sunt infenfissima, simul agunt, ac illa, minimo quoque præbio, sati fortia sunt, ut vomitus maximos eosque cruentos, cum inflammatione ventriculi ac intestinorum, cum cardialgia, cardiogmo, gangræna & sphacelo, ipsaque morte, possint inducere. Ita certe gloriose peracta est cura! mortuus est ægrotus, mortua quoque ac atro carbone notata est fama medici! Omnibus itaque ac singulis hanc solutionem interne in usum vocare dissuadeo, præsertim cum nulla adsit ratio sufficiens, cur tam insecuris medicamentis uti velimus, cum summi Numinis immensa clementia talia nobis concederit, quæ sunt tutissima,

tissima, qualia v. g. sunt, radix ipecacuanhæ & alia. (c)  
 Cetera remedia interna ex venere parata & nobis nota,  
 notatu haud digna sunt, illamque ob causam sicco illa  
 præteribimus pede, multo magis externa perlustraturi.  
 Ad externa pertinet pictoribus nota ærugo, sive viride  
 æris, quod racemis uvarum recenter expressis, laminis  
 cupreis stratificatis, & lixivio ex una parte aceti, & qua-  
 tuor partibus urinæ sæpius irroratis, præparatur. Il-  
 lud est ingrediens unguenti chirurgis notissimi phagedæ-  
 nici, quod vulgo dicitur ægyptiacum. Utuntur quo-  
 que nonnulli vitriolo veneris in ulceribus aperiendis,  
 (e) & in hæmorrhagiis tanquam stipticum. Vitriolum  
 vero non solum vulgare, sed & multa alia ac meliora  
 stiptica sanguinem fistunt in vasis minoribus vulneratis;  
 majora vero neque per vitriolum, neque per aliud stipti-  
 cum, sola ligatura excepta, clauduntur. Ergo in offi-  
 cinis superflua non sunt cumulanda: multa enim alia in-  
 utilia in illis jam conservantur. Nonnulli quoque sol-  
 vunt cuprum in aqua forti, & solutionem, aqua simplici  
 dilutam, adhibent externe in phiriasi. Atque in hoe  
 casu adhiberi potest sine magno periculo; unicum ta-  
 men erit incommodum, quod cuticula emoriatur, ac in-  
 star squamularum separetur: quod similiter quoque in-  
 terdum cum unguentis mercurialibus contingit. Qui  
 interim talia remedia applicando hospites illos ingratos  
 enecat, his occisis, adhibere debet balnea ex saponaceis  
 aliis.

(c) De his infra §. XXXIII. (nr. b)

(d) Aerugo melior evadit, si per acetum ab impuritatibus li-  
beratur, tunc dicitur viride æris destillatum

(e) Dispensatorium Brandenburgicum p. m. 231.

aliisque abstergentibus parata, quibus quod remansit,  
facile a corpore separatur. Multa adhuc alia reme-  
dia e venere parantur, præsertim ex vitriolo vene-  
ris; quæ vero, quoniam nullam aliam, quam vitriolicam  
possident vim, omittimus, nosque ad Iovem converte-  
re volumus.

§. XXII.

Stannum sive Jupiter est metallum album, levissi-  
mum (a) ac ciro combustibile, quod, si cum aliis metal-  
lis fusione miscetur, illorum malleabilitatem imminuit.  
(es macht sie spröde) Signum Iovis est semilunula cum  
cruce & quod indicat, ab acido stannum a sua perfe-  
ctione impediri. Usus ejus est magnus politicus & œ-  
conomicus. Hic enim non in substantia solum adhi-  
betur, sed cinere quoque stanni in politura vitrorum,  
lapidum pretiosorum, aliarumque rerum frequenter uti-  
mur; chymicus vero ac medicus usus est exiguis. Mul-  
ti quidem fuerunt chymici, qui varia cum jove suscep-  
runt experimenta, ac multa quoque medicamenta in au-  
toribus reperiuntur ex stanno parata, (b) quorum tamen  
plurima aut nihil, aut parum profunt. Optimum actu-  
tissimum nobis notum medicamentum ex stanno paratum  
est antimonium diaphoreticum Ioviale, sive, uti ab usu  
& inventore appellatur, antihereticum POTESII. In ipsa  
præparatione differunt autores: nonnulli volunt (c) re-

F guli

(a) LAZARI ERCKERI aula subterranea p. m. 168.

(b) Multa ex Iove parata videri possunt in thesauro pharma-  
ceutico Schroederiano, ac in FRIDER. HOFFMANNI clavis  
pharmaceutica Schroederiana.

(c) B. STAHLII chymia p. m. 192.

guli antimonii anaticam cum jove proportionem, alii  
 (d) reguli antimonii simplicis partes duas, & stanni Anglicani partem unam; alii (e) Jovis partes duas & reguli antimonii martialis stellati partem unam; alii iterum aliam volunt proportionem. Si vero res recte perpenditur, parum a se invicem hi præparandi modi differunt, nisi in labore, experientia teste. Nam quo major est quantitas jovis, eo difficilius contunditur regulis. Recipe iraque stanni Anglicani, uti in laminis affertur, (hoc enim est purissimum & saturno nullo remixtum) & reguli antimonii aliquam ex supra allatis, quæcunque tibi placuerit, proportionem; funde hæc bina corpora in crucibulo, tunc contunde subtilissime, ac triplo nitri permisce; hanc mixturam sensim ac cochleatim immitte in crucibulum candens, illudque ad dimidium usque hac mixtura reple, tunc ignem auge, donec tota massa cum strepitu, fumo & flamma adsurgat, calcinetur, & in puliculam mutetur; hanc puliculam immitte in aquam tepidam, edulcora, & mediante agitatione (durchs Schlammen) a partibus crassioribus libera. Hocce medicamentum ab aliis laudatur, tanquam optimum, ab aliis contra damnatur tanquam nocivum. Si autem verum dicere volumus, antihecticum POTERI est medicamentum non prorsus spernendum: nihil aliud enim est, quam terra metallica alcalina per ignem & nitrum ab omnibus partibus nocivis liberata, ac cum terra nitri fixa mixta, quæ experientia quoque teste (f) tutissime ac cum ma-

- (d) Illustr. TEICHMEYERI chymia p. m. 166.  
 (e) Dispensatorium Brandenburgicum p. m. 5.  
 (f) Medicus quidam sincerus, qui antea usum hujus medicamenti gno

gno effectu in hec̄tica adhiberi potest. MYNSICHTUS quoque commendat sal jovis (g), quod paratur, si stan- ni cineribus acetum destillatum superinfunditur, & sic sal per digestionem extrahitur. Hoc sal non solum a MYNSICHTO, sed etiam ab aliis (h) in uteri suffocati- onibus, hec̄tica & aliis morbis commendatur. Multa alia medicamenta interna ex stanno parantur, uti v. g. bezoardicum joviale, Jupiter diaphoreticus BEGUINI, ac innumerabilia alia; sed esset superfluum illorum compo- sitiones monstrare: sunt enim vel insécura, vel nihil efficiunt, vel vires illorum jam concentratæ reperiuntur in laudato antihec̄tico PTERII. Externe a nonnullis sal & sulphur joviæ tanquam caustica in usum vocantur, activitas vero illorum parum differt ab activitate aliorum causticorum; quare inique actum esset, si pharmacopœlia, in quibus jam immensa prostat farrago rerum, quæ

F 2                      vel

menti omnibus dissuadebat, casu cum alio simul ad hec̄ti- cum vocatur, ille commendat antihec̄ticum PTERII, hic vero id tanquam nocivum rejicit, interim ab altero medico ægrotō, & quidem bono cum successu, propinatur, hic id videns, etiam hocce medicamentum aliis dat, simili moibo laborantibus, & hi quoque ex morbo convale- scunt, hic mirans, omnibus ægrotis, tali morbo correptis, adhibet, ac semper, si aliter morbus non jam est con- summatus, res ex voro succedit, eam ob causam tam sincerus fuit, ut hasce observationes multis ægrotorum exemplis ad- jectis, in actis eruditorum communicaverit, ac inimicos hujus medicamenti ad ejus usum adhortatus sit.

(g) B. STAHLII chymia p. m. 192.

(h) SCHROEDERI Thesaurus pharmaceuticus p. m. 395.  
HOFFMANNI clavis pharmaceutica Schröderiana p. m.

vel parum prosunt, vel quarum vires jam in aliis concentratae sunt, adhuc magis agraventur remediis, quibus alia quam optime substitui possunt. Ac ille quoque medicus sive chirurgus, qui novum quotidie cauterium adhibet, iniquè agit, quia hac ratione vires cauteriorum fuorum nunquam explorare potest (i); quod tamen absolute necessarium est, si aliter bonum eventum sperare volumus.

§. XXIII.

Plumbum, sive saturnus est metallum album, molliissimum, excepto que auro gravissimum. (a) Signum saturni est semilunula cum cruce  $\natural$ , uti etiam in Jove; sed crux est in superiori figurae parte, quæ in iove latus occupat, quod indicat, acidum volatilius esse in saturno quam in Jove. Sulphur tam iovis quam saturni estimaturum: quoniam vero ex consensu omnium chymicorum sulphur est vinculum rerum, facile appetat, quare illa metalla facilius destruantur, quam alia perfectiora. Cui accedit, principia illorum non esse in aequilibrio summo, uti perfectorum, sed acidum prædominare, quod in illis destruendis semper vim suam exserit. Hoc quoque in saturno in maximo est prædominio. Non omnibus autem in oculos incurrit, uti in paragrapho sequenti videbimus; sed dulcedine quadam involvitur, &

fi

(i) Illam ob causam DIONISIVS in operationibus suis chirurgicis p. m. 838. recte monet: cauteria ac eorum activitas chirurgo debent esse nota, eaque de re postular præparationem cauteriorum ab ipso chirurgo, simulque suam compositionem communicat.

(a) Ill. TEICHMEYER: Physic. p. m. 2

si corpus intrat, illud destruendo agit lentissime. His de causis, medicamenta ex saturno parata, interne dissuademus. Vasa enim constringunt, cum fluido nervo commixta illud ligant, & sic varia inducunt mala, ut ex sequentibus magis magisque elucescat.

§. XXIV.

Notissimum e saturno præparatum est ejus saccharum, quod nomine quidem gaudet gratissimo, sed virtute interna pessima. Sequenti vero paratur modo: Recipe saturnum granulatum, sive calcinatum, sive minimum, sive cerussam, sive lythargyrum, quod unum est; adde acetum destillatum in proportione sextupla, digere ac solutionem filtra, ad tertiam partem evapora, ac in loco frigido crystallisationem exspecta, & sic perge cum liquore supernatante evaporando, ac crystallifando, donec nihil est reliquum; tunc habebis sal dulci gaudens sapore, ob quem etiam dicitur sacharum saturni, licet rectius dici possit venenum, maxime si a nonnullis medicis purum interne sine ulla additione ad grana quindecim (a) in malo hypochondriaco, quartana, phlogosi, dysenteria, aliisque morbis his similibus propinetur. Nescio vero, an successus cum spe conveniat; sacharum enim saturni, si intime recluditur, salia maxime styptica in recessu habet, quæ quidem dulcedine quadam involvuntur, sed si iterum sui juris sunt in corpore, vasa minima constringunt, secretionem fluidi nervi impedit, ut sensim paullatimque vires sufflaminentur, obstrunctiones evadant majores, tandemque mors curæ medi-

F 3 ci

(a) ETTMULLERI opera omnia in compendio p. m. 98.  
seqq.

ci imponat finem. Ideoque sic dictum saccharum revera est venenum, cuius vis constringens fere est incredibilis. Nam si quis v.g. sparadrapium ex saccharo saturani & cera paratum, glandi ac præputio interponit, tunc, quam diu hocce sparadrapium gerit, nulla gaudebit eterne, & si diu ita continuatur, sive hocce emplastrum scroto ipsique mentulæ applicatur, tunc metuendum est ne impotentia succedat: si vero hoc externe præstat, quid non præstabit interne? Dolendum itaque est, quod tam pauci sint, qui de malignitate hujus veneni convicti, interne illud fugiunt! Ille vero, (proh dolor) ejus vires quam optime scivit, qui venenum illud diabolicum publicavit, quo tam multi hujus terrarum orbis dii ac magnates, a sceleratissima hominum sentina, (ad quos interficiendos nulla cruciatus genera sufficiunt) e medio tolluntur. Putamus scilicet idem hoc pestilentiale saccharum, quod poudre de la succession appellatur, (b).

Non

(b) Hocce venenum est pessimum, vis ejus est lentissima, & agit ex mente nebulonis a quo applicatur, vel in quatuor, octo, decem mensibus, vel in anno, & sic porro, quo nempe magis vel minus accutatur, actio consistit in constrictione vasorum minorum, similiq[ue] nervorum lentissima, sic obstructiones ac empyemata oriuntur in partibus mollioribus v.g. pulmonibus &c. sequuntur lassitudines, ac ægroti moriuntur vel apoplexia, vel hec[tica], vel phthisi. Breuibus: ut plurimum mors inducitur per contabescientiam. Inventor hujus veneni nec nobis, nec omnibus fere, genuinus notus est, licet multi accusentur. Interim aut gallus, aut, quod facilius creditur, Italus fuit: in hisce enim regionibus hoc venenum primo innotuit. Qui plura hac de re legere vult, confer-

Non vero tantum homines e medio tollit, si vel solum, vel cum aliis venenis remixtum, offertur, lentissime, sed multa alia quoque creat mala. Persuasum enim nobis habemus, multos morbos, qui ad incantationem & fascinationem referuntur, huic veneno originem debere, præsertim vero in conjugio, si quis v. g. præstanta, quæ antea præstigit, præstare non potest, si erectiones cesserant florente ærata, & hujus generis plura. Nam si homini inscio propinuantur, paralyſi musculorum penis ac vasorum spermaticorum, conſtrictionemque nervorum in insertionibus, creant, ut sic omnis erectio cefſet. Optandum igitur eſſet, ut hocce ſaccharum non omnibus ac ſingulis in officinis diſtribueretur, quoniam ſic multi cefſarent hujus veneni effectus. Ex ſupra dictis ſimil patet, quanta cautione tinctura antiphthisica ſit adhibenda, quæ ex ſaccharo saturni ac vitriolo martis proportione anatica, digerendo cum ſufficiente quantitate ſpiritus vi ni paratur. (c) In genere vero omnia medicamenta interna, ex ſaccharo saturni, ac cunctis saturninis parata, jure meritoque e medicina ſunt eliminanda: nam ſi quoque uni proſunt ſubjecto, multis tamen aliis nocent, atque ideo rectiſſime ad medicamenta dubia & inſecura ſunt referenda (d). Quamobrem interna omittere, nosque ad externa convertere volumus.

## §. XXV.

conferre potest Celeberrimi ERNDLI Dissertat. medic. ex veneno ſalutem iſtentem §. XXI. ac ILLUSTR. TEICHMEYERI medicinam legalem p. m. 168. quo plura quoque allegantur ſcripta ac experimenta.

(c) B. STAHLII chymia p. m. 194.

(d) Huc quoque pertinet acetum coruleum ex violis & aceto para-

## §. XXV.

Externe saccharum saturni collyria in inflammitionibus oculorum ingreditur, & sic tute quoque adhibetur. Eodem enim fibræ aliqualiter constringuntur, fluida stagnantia exprimuntur, circulus restituitur, ac inflammatio cessat. Similis quoque est ratio in aliis inflammationibus, si decoctum saturninum applicatur, quod parari potest ex cerussa, minio, vel lythargyrio, vel ex hisce tribus anatica portione simul summis, si acetum vini proportione sextupla, vel octupla, superaffunditur & ad dulcedinem decoquitur. Atque hæc dulcedo dependet a saccharo saturni, actio vero consistit in constringendis ac roborandis fibris. Ab aliis commendatur in collyriis loco sacchari saturni magisterium ejus, quod e decocto saturnino cum oleo rarri per deliquium præcipitur, & aqua simplici edulcoratur(a). Ab ipso saccharo saturni paratur cum oleo Juniperi per digestionem Balsamus saturni BOILEI, qui in vulneribus ac ulceribus tuto adhiberi, ac cum aliis quoque, secundum rerum circumstantias, misceri potest. Multa quidem sunt alia e saturno præparata in autoribus descripta, quæ tamen omittimus, quoniam vis eorum cum jam allegatis una eademque est.

## §. XXVI.

Lythargyrium in refinationibus metallicis, præsertim nobilioribus, magnorum ponderum, copiose emer-

git;  
paratum in patina stannea ampliori, solvit enim aliquid a stanno, alias enim color nunquam imperatur, cum ipso vero saccharo saturni in vase vitro pari imperatur modo hicce color.

(a) Vid. Ill. TEICHMEYERI chymiam p. m. 174.

git; est autem plumbum in scorias calcinatus, ac  
reducitur iterum in plumbum, si scoria adduntur fixa.  
Quinimo in ipsa præparatione vitri saturni ex lythar-  
gyrio, silicibus calcinatis, subtilissimeque contusis,  
ac cum sale communi in superficie stratificatis plumbe-  
us e lythargyrio præcipitatur regulus. A plumbō ipso  
paratur cerussa, & uti nonnulli volunt minium, si nem-  
pe laminæ plumbeæ subtilissime ac leviter convolu-  
lutaæ alembico immittuntur, acetum destillatum affundi-  
tur, & hæc mixtura in loco rapido collocatur. Sic  
enim saturnus sensim arroditur, & oritur calx flavi co-  
loris, quæ lenta calcinatione in album mutatur, & dici-  
tur cerussa. Si ignis continuatur, mutatur in rubrum  
& dicitur, ut nonnulli volunt, minium (a). Ut alii vo-  
lunt minium e terræfodinis adducitur; hic vero pulvis  
ruber sandix (b) appellatur, & cum minio valde conve-  
nit. Hæc tria vi æquali fere prædicta sunt, illamque ob  
causam vel juncta, vel quodvis seorsim adhiberi potest.  
Ac externe certe in omnibus ulceribus & vulneribus,  
tam in emplastris, quam in unguentis, sive nuda inter-  
dum, in forma pulverum, optimo cum successu ob vim  
exsiccantem adhiberi queunt. Ex solutione lythargy-  
rii cum aceto, solutione aluminis crudi guttatim addita,  
paratur lac virginis, quod cosmeticis adnumeratur, ac  
iis sane conductit, qui radiis solis diu expositi fuerunt:  
in lentigine quoque ac serpentine proficuum est; sed si  
usus diu continuatur, quod ut plurimum sit a fœminis  
mollioribus, quæ colorem rusticum, ut dicunt, e facie-

G

depel-

(a) STAHLII fundamenta chymiae p. n. 194.

(b) VALENTINI Historia simplicium p. m. 60.

depellere volunt, gravia mala comites certissimos habe<sup>t</sup>. Varia insuper parari possunt ex plumbo ipso, ex lythargyrio, plumbi cineribus, minio atque cerussa medicamenta tam interna, quam externa; quoniam vero mens nobis non est, librum, sed modo dissertationem edendi, illa jam non quoad præparationem enarrabimus, (c) sed de illorum usu modo dicemus. Hic vero internus plane nullus est, (§. XXIII.) ac licet medici, modo hoc, modo illud commendent, appetat tamen, omnia aut nocivis, aut insecuris adscribi posse. Optime igitur actum esset, si medicamenta interna ex saturno parata prorsus e medicina eliminarentur. Erenim si omnia saturnina examinatur chymice, in omnibus sal, sive saccharum saturni delitescit, de cuius vi in destruendo corpore (§. XXIV.) prolixe egimus. Si quis vero omne sal saturni separat, ipsumque saturnum destruit, nihil aliud habebit, quam terram mortuam absorbentem metallicam, quæ tamen ex aliis metallis ac semimetallis longe facilius impetratur. Quid ergo per invia tendere volumus? Externe contra omnes terræ saturninæ, nisi cum corrosivis præparatae, si eriam reduci queunt, tutissime adhibentur. Acidum enim, ac salia corrosiva, corporis nostri partes carnosas destruentia, poris saturninorum insinuantur & edulcorantur, vt sic exsiccant ulcera, tandemque consolident. Salia enim destruncta, neque carnem denudatam irritare, neque novas fibrillulas comminuere, adeoque nec consolidationem impedire possunt. Illa vero, quæ cum corrosivis

(c) Multa reperiuntur præparata in FRID. HOFFMANNI clave pharmaceutica Schröderiana p. m. 242-253. ac in ipso thesauro pharmaceutico Schröderi.

sivis parantur, cautius externe quoque sunt adhibenda; sic nusquam inveniunt locum, nisi in destruendis callis, magna suppuratione promovenda, ac pure coagulato in atheromate, steatomete ac melicerite resolvendo, simulque tunica, qua materia involvitur, destruenda.

§. XXVII.

Mars sive ferrum est metallum durissimum, quod per se difficilium præ ceteris metallis funditur, & in aqua forti solutum, rubicundissimum efficit colorem. Signum martis est circulus, in cuius sinistra superficie sagitta reputatur ♂ ad indicandum, martem ad solem inclinare & acidum in ipso non tam valde prædominare, quam in ceteris metallis imperfectis. Sulphure (a) & terra abundant, mercurii vero parum recondit. Prorsus quidem a nonnullis negatum fuit, & adhuc quoque negatur, marti inesse mercurium; sed BECHERUS *in Physico sua subterranea* quam fusissime id demonstravit. Abundantia terræ omnibus in oculis incurrit, qui modo visitant officinas ferreas, tunc enim si ferrum malleatur candens, scoriæ in maxima quantitate combustæ, abundantiam terræ indicant; in illa vero terra sal simul delitescit. Sul-

G 2 phur

(a) Sulphur martis tendit jam ad fixitatem, ac solaris est natura (vid. §. XXIX) terra vero, quæ in marte reperitur, est quidem pura, sed non purissima, ut illa esse debet, quæ ad aureitatem requiritur. Tum quoque mercurii legitima quantitas dicitur; alias mars esset aurum; hac de causa quoque Philosophi dicunt: martem nihil aliud esse, quam aurum ac rubiginem (Gold und Rost) vid. III. TEICHMAYERI Programma de Rythmis Basili Valentini XVI. ad D.D. SCHACT. dissertat. inaugural. sub praesidio Illust. WEDERI de febre tertiana intermitente.

phur se manifestat, si modo mars cum impetu malleatur, tunc enim per motum sulphura in marte copiosa contenta ita evolvuntur, ut mars tandem candescat. Si limatura martis, aqua fortis, ac aqua simplex in vitro miscentur, tunc statim per sulphura ingens color & fumus excitatur, qui accenditur si lux admoveatur.

## §. XXVIII.

Varia e marte nota nobis sunt præparata, quorum nonnulla optima gaudent virtute, ideo quod mars facile præ omnibus aliis recluditur metallis, illamque ob causam ipsa limatura martis in subjectis, quæ robustioribus gaudent visceribus ac soda laborant, effectum edit præstantissimum, si in bolo propinatur. Martialia vero agunt secundum principia: illa enim, quæ vitriolo martis, eique non optime edulcorato, & ab omnibus impuritatibus venereis quantum fieri potest liberato, vim suam debent, adstringunt; terrea martialia probe edulcorata, tanquam corpora alcalina, acidum e primis viis secum eliminant; sulphurea vero & mercurialia, quæ urplurimum vitriolicis sunt nupta, resolvunt lympham coagulatam. Plurima medicamenta martialia sunt interna, ac dividuntur in liquida & sicca. Ad liquida in primis referruntur tinctoriae, quarum multæ reperiuntur, ut LUDOVICI, HELLEBORATA, MYNSICHTI, cum arcano tartari, ex vitriolo WEISII, cum vino malvatico ZWELFERI, pomara, cydoniata, ex croco ZWELFERI, ac vitriolata antiscorbutica, quæ in Dispensatorio Brandenburgico reperiuntur, (a) item & FREUNDII, WEDELII (b) &c.

Vis

- (a) Dispensatorium Brandenburgicum p. m. 217. seqq.
- (b) Celeberrimi TEICHMEYERI chymia p. m. 134.

Vis harum tinturarum parum differt: omnes enim leniter adstringunt, quoniam vitriolum martis in omnibus primario agit. Omnibus itaque in casibus adhiberi possunt, ubi tonus vasorum deficit, quo restituto, vaſa ſanguini riefiſtunt debite, eumque majori vi quaqua verſum, premunt; unde circulus augerur, ſanguis viscidus riefolvitur ac ſubtilifatur, excretionesque promoventur. Caveat vero medicus, ne talia medicamenta in cochleari metallico propinentur: tingitur enim (wenn ſolche Tincturen in ſilbernen oder blechernen Löffeln gegeben werden, lauffen die Löffel an) a vitriolo martis, ac aegroti ſaſe putant, venenum ſibi propinatum eſſe. Ille vero medicus, qui tale vitriolum, ac per conſequens quoque tinturam martis parare poret, quae neque chalybem politiſſimum, neque lunam, neque aliud metallum obſcurat (von welchen vitriol kein Metall, auch kein polirter Stahl röthlich wird, ſondern ſeine politur behält) felix praedicandus eſt. Erenim, quamdiu metalla a vitriolo martis obſcurantur, tamdiu adhuc de vitriolo veneris quisquiliæ adſunt, quæ interdum haud exoptata ſymptoma creant. Talem præparationem vitrioli & tinturæ martis docet præclarissimus ille ævi nostri chymicus, ILLUSTRIS TEICHMEYERUS (c) ex ſcoriis reguli antimonii marrialis, cum duplo ſalis ammoniaci mixtis, ac decies ſublimatis. Quamvis autem hic proceſſus laboriosus videretur, dabit tamen caput mortuum in fundo remanens optimam martis tinturam, quæ chalybem politiſſimum non obfuscatur. Si vero flores rite tractantur in igne cum

G 3                      regu-

(c) ILLUSTR. TEICHMEYERI Programmata de Rythmis Basiliæ Valentini.

regulo metallico, impetratur remedium haud spernendum in calculo, podagra, arthritide, aliisque morbis his similibus. Ipsi flores salis ammoniaci martiales, a nonnullis interne in febribus, aliisque morbis, in usum vocantur.

§. XXIX.

In forma sicca præfertim croci ac vitriolum martis in usum ducuntur. Croci distinguntur in aperitivos & adstringentes, qui apud omnes fere reperiuntur auctores. (a) Optimus vero omnium est crocus martis antimoniatus, (b) sive crocus martis aperitivus STAHLII (c) qui ex scoriis reguli antimoniij martialis edulcoratis, exsiccati, ac cum triplo nitri mixtis per detonationem paratur, ac tandem per aquam affusam edulcoratur. (durchs schlammten) Hic optimum est absorbens, illamque ob causam omnibus in morbis, ubi acidum peccat, adhiberi potest, præfertim vero in soda & ardore ventriculi remedium est præstantissimum, itemque in febribus, malo hypochondriaco, aliisque morbis præclare se gerit. Interim tamen quoque croci martis, vel per se ex limatura martis, vel ex limatura & sulphure anatice parati, in affectibus, ubi acidum peccat adhiberi possunt. Virriolum martis paratur e limatura martis, vulgari modo, (d) si illa cum oleo vitrioli aqua diluto solvitur,

folu-

(a) *Pharmacia augustana* p. m. 317. & 324. *Dispensatorium Brandenburgicum* p. m. 50 & 57. *Illustr. TEICHMEYERI chymia* p. 162.

(b) *Illustr. TEICHMEYERI chymia* p. m. 229.

(c) *Dispensatorium Brandenburgicum* p. m. 50.

(d) Limatura martis debet esse purissima ac ab omni venere libe-

solutio usque ad cuticulam evaporatur, ac in loco, frigido crystallisatur. Huic vitriolo martis multa adscribuntur, praesertim in hydrope, malo hypochondriaco, a liisque his similibus: ac nos quoque non negamus, vitriolum martis hisce gaudere effectibus, si purum est; sed illud in officinis, ab omnibus quisquiliis venereis liberum invenire, desiderii piis adscribitur. Etenim in chalybe polito semper veneris appetet imago, illamque ob causam maxima cum cautione vitriolum martis vulgari modo preparatum, est adhibendum: semper enim latitatem anguis in herba. Purificatio vero peragitur superiore descripto modo, (§. XXVIII.) aut si quis tantos labores nec subire vult, nec ob varia impedimenta potest, breviori quoque modo vitriolum martis satis purum impetrabit, si modo vitriolum martis commune solvit, solutionem cum limatura martis coquit, filtrat, ad cuticulam evaporat, in loco frigido ad crystallisationem ponit, & hunc processum perpetuo cum nova limatura martis additione, tam diu continuat, donec chalybs politissimus non amplius tingatur. (bis kein polirter Stahl mehr anlauft) Hoc enim signum est certissimum de puro martis vitriolo. Hæc sunt medicamenta in forma solida e marte parata, quæ præ ceteris in usu sunt, & vel circum sive terram metallicam exhibent, vel sali martis, quod dicitur vitriolum, & mercurio, qui inventre prioris

libera; alias enim emesin, aliaque interdum non exoptata symptomata creat. Quare etiam ea, quæ a claustrariis impetratur, non est adhibenda; ferruminant enim eam mediante venere. Tertissimum est, si aut a nobis ipsis, aut ab aliis, nobis praesentibus, martis paratur limatura.

ris delitescit, vim suam debent; de extrahendo autem ac purificando sulphure martis nemo sollicitus est: quod tamen ex sententia virorum in chymia præclarorum usus es- set haud exigui. Si quid enim adderetur, quod intimam martis destrunctionem ac reclusionem maturaret, simulque deficientem mercurium restitueret, illa forsan med- cina impertrari posset, quæ frustra in auro queritur. Nam multi chymici in scriptis suis defendunt, martem (e) ad lapidem philosophorum componendum adhibendum esse. Neque diffidendum est: martem sulphur solare in se con- tinere, ideo quod veneris & martis maxima est cogni- ricio, & ex venere mars, ex marcie venus pro arbitrio ar- tificis parantur. (f) Sulphur vero veneris exaltat auri colorem, illumque auro extractum non modo restituit, sed aurum quoque album de novo tingit. (§.XX.) Er- go sine omni dubitatione hocce sulphur solaris est naturæ;

alias

(e) Illustr. TEICHMEYERVS in programmatibus de Rythmis Basilii Valentini, & præsertim decimo quinto & sexto non affirmat solum, martem esse aurum philosophorum au- reum, & sulphur ejus citius posse separari, quam ex aliis metallis, sed id quoque ex scriptis probat. Illamque ob causam GEBERVS, HADRIANVS MYNSICHTVS, SEN- DIVOGIVS, RAIMUNDVS LULLIVS, PHILAETA, TOLLIVS, SVCHTENIVS, ALBERTVS, BASILIVS VA- LENTINVS, aliquæ allegantur, simulque ex horum auto- rum consensu ostenditur, sicuti martem aurum, ita anti- monium esse lunam, venerem sive saturnum philosophorum (§. XXXI) ex quibus insans generatur hermaphrodi- ticus, regulus nempe antimoniæ martialis.

(f) B. STAHLII chymia p. 185. LAZARI ERKERI aula subterranea p. m. 139. seqq.

alias non tam intime cum auro misceri posset, ut maxima ignis & antimonii tortura, ad illud ex imis auri visceribus eripiendum insufficiens sit. Venus autem & mars ut unum consideranda sunt hac in re; ergo & in marte est sulphur solare.

§. XXX.

Peracta itaque de ipsis metallis tractatione, illorumque medicamentis paulo accuratius perlustratis, converimus nos ad semimetalla, tandemque notatu digniora de mercurio ac medicamentis mercurialibus subjicimus; siquidem mercurius neque inter metalla, neque inter semimetalla proprie refertur. Quoniam vero in metallis cunctis reperitur mercurius currens, illam ob causam metallis annumeratus fuit. Metalla vero non solum, sed semimetalla etiam, ac ipsa mineralia de mercurio participant; quare mercurium mineralibus adscribimus.

§. XXXI.

Inter semimetalla antimonium omnibus aliis est præferendum, cuius virtutes medicæ maximæ sunt. Facilius enim acidum corrosivum arsenicale, quod volatilius est, quam in metallis, ab illo separatur; ac sic corpus purum alcalinum impetratur. Antimonium autem est corpus nigrum, maculis splendentibus mixtum, quod igni injectum albantem concipit flamمام, quoad magnam partem avolat, odorem sulphureum post se relinquit, & cum metallis fusum, omnia, auro excepto, corrodit. Signum ejus est circulus cum cruce in superficie & ad indicandum, acidum adhuc esse volatile, quod hocce semimetallum a perfectione metallica retinet; hoc acidum tantæ est activitatis, ut omnia metalla, auro excepto,

H par-

partim comburat, partim volatilia reddat, ac e catino docimastico instar furni secum ducat. (a) Antimonii virtutes tam medicæ, quam chymicæ, tantæ sunt, ut ad illas penitus eruendas non hæc dissertatio, sed multa volumina requirerentur. Ipsi enim chymici ac philosophi summi in scriptis suis confessi sunt, virtutes antimonii adhuc multas latitare, ac in melioratione metallorum maximam antimonio vim adscribendam esse. (b) Nihilominus vero maxima cum cautione antimoniana sunt paranda,

(a) Impuritates comburuntur, pura vero volatilisantur: quid itaque antimonium in melioratione metallorum præstare potest, ex his patet, omnes enim philosophi consentiunt cum Hermete, qui ait in tabula sua smaragdina: ascendit a terra in cœlum, iterumque descendit in terram, & recipit vim superiorum & inferiorum, hoc ab aliis dicitur fixum volatile, & volatile iterum fixum reddere. BASILIVS ait macha der Erden Flügel, omnes itaque volatile desiderant, & hoc citissime præ ceteris cum antimonio impetratur, de quo plura nr. (b).

(b) THEOPHRASTVS PARACELSVS in suis scriptis antimonium maximis extollit laudibus, ac in libro de vita rerum animalium, dicit, spiritum metallicum tingentem antimonio inesse. BASILIVS VALENTINVS in curru triumphali antimonii pag. m. 314. ait. Antimonium comparandum esse cum circulo, ex omnibus coloribus composto: quo magis in eo queritur, eo magis acquiritur. Porro ait loco citato: antimonium esse ectropium (ein Wunder-Thier:) esse venenum maximum, & nullum venenum, sed medicinam. Pag. 316. ait, tantæ illi insunt divitiae, excepta virtute medica, quanta neque meo, neque tuo animo comprehendi queunt. ALEXANDER de SVCHTEN, antimonium, inquit, potest transmutare (sive meliorare metalla); hoc vero non contin-

git

ac nonnulla etiam adhibenda, aut plane omittenda. (c)  
 Acidum enim illud, quod, in antimonio reperitur, est  
 genuina proles lethiferi patris arsenici, illamque ob cau-  
 sam non ipse solum antimonii regulus, sed omnia fere an-  
 timoniaria, non rite parata, vel insufficienter edulcora-  
 ta, emesin creant; quod fit, si salia illa corrosiva arseni-  
 calia non prorsus inde sunt eliminata, quæ tunc per aci-  
 dum ventriculi, e mollioribus quam par est carceribus li-  
 berantur, ac quasi revificantur, licet priorem activita-  
 tem non plenarie acquirant. Tum vero tunicam ventri-  
 culi nervosam irritant ac pungunt, ob irritationem major  
 liquorum sequitur affluxus, fibraeque ac vasæ expandun-  
 tur; quæ quum deinceps vi viralitatis se contrahunt, ori-  
 tur spasmus totius ventriculi, simulque valvulae orificii

H 2 dextri

git cum sulphure metallorum. Porro ait: antimonium  
 esse plumbum philosophorum. In eo omne est secretum  
 secundum Pythagoram. In eo aurum & argentum conti-  
 nentur in potentia, non visibiliter secundum Rhasin. Mul-  
 ta adhuc alia de antimonio ex scriptis philosophorum ac  
 medicorum in medium proferri possent; nostrum vero non  
 est, de usu antimonii chymico ex professo agere, sed obiter  
 modo sententias autorum communicavimus. Usus vero  
 medicus nulla indiget probatione: nullus enim erit medi-  
 cus, qui non utatur antimonio diaphoretico, si omnia quo-  
 que alia abhorreat antimoniana. Hoc vero unicum rite pa-  
 ratum ac probe edulcoratum, egregias antimonii virtutes  
 medicas in morbis quoque acutissimis sole clarius manife-  
 stat.

(c) Multa enim etiam ex antimonio parantur nociva, ac hæc  
 omnia ea sunt, in quibus, sulphure expulso, salia rema-  
 nent concentrata; quo præsentim pertinent omnes reguli  
 cum multis salibus parati.

dextri. Contenta igitur versus orificium sinistrum pre-  
mantur, ac per os eliminentur, necesse est.

§. XXXII.

Ipsum antimonium crudum a nonnullis medicis in-  
terne in usum vocatur; quod vero magna cum circum-  
spectione fieri debet. Salia enim illa corrosiva, quæ in  
antimonio crudo sunt, & a sulphure refrænantur, si cum  
acido ventriculi nostri miscentur, facile prædominium  
acquirunt, multaque mala excitant. Præparata ex an-  
timonio varia vel in forma liquida, vel sicca, in officinis  
nota sunt. In forma liquida primarium occupant locum  
tincturæ, quarum notissimas in hoc paragrapho perage-  
re constitui. Optima illarum est sic dicta alcalica: in illa  
enim tota est minera antimonii, & partes arsenicales aut  
sunt expulsa, aut plenarie destructæ. Sequenti vero  
paratur modo: Recipe antimonii partem unam, cine-  
rum clavellatorum, sive salis tartari, partes duas, misce ac  
funde in crucibulo; sic nullum impetrabis regulum (a).  
Si omnia bene fluant, massam effundere in mortarium ferre-  
unt, illamque calidam contunde, cucurbitæ immitte, spi-  
ritum vini oleofum adde, ac per ostium digere, sic im-  
petrabis tinturam antimonii rubram, quæ omnibus aliis  
palmam eripit. Vis aperitiva hujus tinturæ acuatur, si  
cum anima rhabarbari rite præparata miscetur. Tinctu-  
ra antimonii tartarifata paratur ex scoriis reguli antimonii  
martialis primis (b); (harum præparationem vide in pa-  
ragra-

(a) Cave vero ne de carbonibus aliquid accedat, tunc enim  
statim præcipitatur a sulphure carbonum peregrino massa  
regulina, ac tua tintura fit emeticum

(b) Ill. TEICHMEYERI chymia p. n. 226.

ragrapho sequenti) ac æquali fere virtute gaudet cum alcalica. Acris vero antimonii tinctura paratur ex regulo antimonii martiali per nitrum in scorias mutato. Si enim hæ scoriae contunduntur ac spiritu vini extrahuntur, impetratur per digestionem tinctura saporis adstringentis, a quo dicitur acris. Illi tincturæ adscribitur maxima vis aperitiva, ac non negamus, interdum hancce medicinam esse proficuum, si nempe latera vasorum sunt irritanda, ac si fluida stagnantia per motum vasorum auëtum promovenda. Maxima vero cum cautione non est præparanda solum, sed & adhibenda. Si enim de regulo aliquid scoriis adhaeret, quod facile accidit, præsertim si scoriae a regulo adhuc calido separantur, tunc sit emeticum, aut nauferum ramen creat: quæ symptomata partibus reguli arsenicalibus fixioribus originem debent. Sed si adhibetur illa tinctura in obstructionibus, quarum causa est nulla vasorum atonia, tunc res non semper ex voto succedit: quapropter raro a medico ægrotis per se propinatur, sed melius cum aliis medicamentis miscetur. Tincturæ antimonii ZWELFERI parantur vel ex vitro antimonii, vel ex antimonio ipso fusio, vel ex antimonio Hungarico cum vitriolo cæmentato, (c) omnes extrahuntur cum spiritu ex viridi æris destillato, extractum rubrum decantatur & leni destillatione abstrahitur ad mellaginem, huic spiritus vini rectificatissimus affunditur ac tinctura extrahitur. Haec tincturæ meliores evadunt, si spiritu vini non statim essentificantur, sed ille prius plus quam vice simplici super iis est cohobandus, semperque novus addendus; alias partes venereæ si remanent, mala interdum cre-

H 3                    ant

(c) De SPINA Lexicon pharmaceuticum p. m. 1072. seq.

ant symptomata. Præsertim vero ex vitro antimonii parata tinctura, ut plurimum vomitus comites habet.

§. XXXIII.

Mediane fusione ex antimonio parantur vitrum & reguli. Vitrum sit, si antimonium calcinatum cum borrace venera funditur (a). Vis ejus est emerita, quoniam sulphur quoad magnam partem est expulsum, & particulæ arsenicales intime cum hac massa, rubinum colorem æmulante, junctæ sunt: quare tincturæ ex vitro ab expertissimo chymico parandæ, & ab omnibus quisquiliis venenosis liberandæ sunt, si exoptatus effectus succedere debet. Reguli antimonii fiunt vel ex antimonio sine ulla additione salium, vel cum salibus, & reguli antimonii cum aliis metallis mixti, pari fruuntur jure. Regulus antimonii per se paratur, leni fusione, quod citius peragitur, si pulverem carbonum addamus: hic enim citius comburit sulphur volatile superfluum, regulusque acquiritur. Purior vero evadit cum salibus, si antimonium, nitrum & tartarus quantitate anatica sumuntur, sensim crucibulo immittuntur ac detonantur, post detonationem tota massa fluit, ac in conum fusorum, sebo inunctum funditur. Ad regulum antimonii martiale sine salibus, recipiuntur martis partes duæ, hæ probe candescant in crucibulo ignito, tunc adduntur partes antimonii contusi quatuor, ac ignis augeruntur, donec omnia fluant: si vero post additionem antimonii, pars una nitri, sive cinerum clavellatorum, crucibulo injici-

(a) Calcinationem vide in ETMVLLEI operibus omnibus in compendio p. m. 86. It. Illustr. TEICHMEYERI chymia p. m. 238.

tur, bene fluente tunc massa, oritur regulus antimonii martialis cum salibus. Si martis loco sumimus aurum, argentum, stannum, aut alia quoque metalla, oritur antimonii regulus solaris, lunaris, jovialis &c. Omnes hi descripti reguli, & interdum ipse regulus antimonii medicinalis, (ut mox videbimus) vi gaudent emetica, & modo ut majus & minus differunt; quæ vis emetica principio arsenicali originem debet. Omnia enim metalla, priusquam ad perfectionem pervenere, fuerunt arsenicum (§. III.). Semimetalla & ipsa metalla in genere non differunt, sed modo in accidentiis & maturitate. Ergo etiam semimetallicis ineft arsenicum, & hoc quidem in longe majori quantitate, quam in metallis perfectis, quoniam adhuc volatilia sunt. Hæ partes arsenicales tam intime cum antimonio junctæ sunt, ut sola fusione separari non modo nequeant, sed & magis concentrentur, quia magna sulphuris pars avolat ac in scorias transit; unde vomitus creant reguli (b). Novitatis studiosi ex regulo antimonii confecerunt pocula siccata emetica, quæ si vino repleta per aliquod temporis spatium stant, partes arsenicales subtilissimæ a vino folutæ emesin faciunt. Nemini vero illa commendo (c).

Præ-

(b) a nonnullis parantur pilulæ ex his regulis, quæ vomitum carent, ab aliis rursus alio propinantur modo. Interim mirandum est, quod multis vomitorium ab infuso reguli antimonii propinari possit, vi emetica semper in regulo remanente, pondereque reguli haud sensibiliter imminuto.

(c) In genere de vomitorii, ex regno minerali paratis, notatum dignum, cuncta fere esse infcura: omnia enim, uti jam supra dictum est, agunt secundum principium arsenicale,

quod

Præbium enim non solum accurate determinari nequit, quare facile dosis major, quam fas est, recipitur, varia que symptomata producuntur; sed tantus quoque horror oriri potest, ut talia subiecta nullum postea vinum sine vomitu assimi queant (d). Si antimonii Hungarici partes sex & salis tartari pars una contunduntur, miscentur ac in crucibulo funduntur, impetratur massa splendens, quæ regulus antimonii medicinalis audit. Hic si ad scrupulum unum assimilatur, saepe præstat vomitum, alias vero optimum est aperitivum, si quantita-

te  
quod ventriculum stimulat, & motum spasmodicum suscitat: hoc vero principium arsenicale, non semper ex voto refrenatur; unde in ventriculo cum salibus jungitur, tæniola disrumpit, diraque mala inducit. Cur itaque insecuris uti volumus medicamentis atque dubiis, cum somnum Numen talia nobis concessit, quæ blandissime agunt, nulla que symptomata inducent? Radix Ipecacuanha optimum est vomitorium, gaudet quidem adhuc particulis arsenicalibus, sed illæ ex regno minerali transgressæ sunt in regnum vegetabile, ac sic maxima pars corrosivitatis jam correcta, corpori humano magis appropriata est. Solum natale hujus planta est Peru atque Brasilia; anno vero in aliis quoque regionibus, v. g. Hungaria, ubi auri mineræ sunt, reperiiri queat, aliis dijudicandum relinquo. Crescit enim circa, aut, ut alii volunt, in ipsis mineris auriferis, ac nutritur simul vaporibus metallicis volatilibus sive arsenicalibus, quæ vegetabilium induunt naturam, & Ipecacuanham virtutibus emeticis ornant. De Ipecacuanha plura vide in VALENTINA historia simplicium p. m. 99 & 100. De possibilitate vero hujus transgressionis ex regno uno in alterum, lege catenam auream Homeri.

(d) Horror vini est evitandus, quoniam in sacra coena vino utimur.

re minori propinatur, & aqua affusa probe a salibus liberatur. Sal enim justo præbio additum partes arsenicales salinas corrigit, ac secum vehit, pars vero mercurialis remanet; hinc massam sanguineam fundit, atque sic oritur, secundum Beati HOFFMANNI observationes sudor: si vero major, quam fas est, salis quantitas advenit, sive in præparatione, sive in corpore, sulphurique separatur, intime massa illa solvitur ac sic oritur vomitus. Criterium probe elaborati reguli antimonii medicinalis est, si nullum habet odorem & saporem, a saliva non solvitur, ac nullas miculas splendentes salinas secum habet mixtas. Scoriae reguli antimonii martialis cum salibus, dant croquum martis aperitivum STAHLII; (§. XXIX.) ex aqua autem illa, qua scoriae fuerunt edulcoratae, præcipitatur cum aceto sulphur antimonii auratum, quod non nulli ad vomitum ciendum adhibent (e). Sed ut ego quidem credo, locum modo habet in casibus subitaneis, ut catharrho suffocativo, aliisque.

## §. XXXIV.

Notissimum ex antimonio per calcinationem præparatum est antimonium diaphoreticum. Si enim antimonii pars una, cum triplo nitri miscetur, crucibulo carenti immittitur, detonatur, ac materia alba in crucibulo quasi coquens provide ac successive, in vas terreum, aqua tepida repletum, effunditur, tum agitatione (durchs Schlämmen:) edulcoratur, a partibus grossioribus liberatur, tandemque exsiccatur, impetratur pars

I

anti-

(e) BOERHAVII chymia p. m. 999. Huc quoque pertinet alkermes minerales, quod nihil aliud est, quam sulphur antimonii auratum.

antimonii & nitri fixa in forma calcis, quæ sudorem mouet lenissime, egregium est bezoardicum & optimum antivenereum. Signum bonitatis est albedo: si enim flavidine tingitur, tunc fit emeticum. Hanc quoque induit naturam, si igne fortissimo fusorio tractatur, & in scorias regulinas mutatur. Aqua, qua edulcoratur antimonium diaphoreticum, evaporatur ad cuticulam, ac dat in loco frigido crystallos, quæ nitrum audiunt antimoniatum; & hoc si solvendo & crystallisando tam diu continuatur, donec materia remanet prorsus alcalica, quæ in nullas abit crystallos, exhibet per præcipitationem cum acido, materiam sic dictam perlata, quæ in omnibus obstructionibus proficia est. Si cum regulo antimonii metalla funduntur, contunduntur, cum triplo nitri miscentur ac in igne ita, ut antimonium diaphoreticum, tractantur, tunc impetratur antimonium diaphoreticum, seu, ut alii volunt, bezoardicum solare, lunare, joviale, martiale & reliqua. Solare vero & lunare agunt (uti supra jam dictum fuit,) non secundum principia auri & argenti, sed ut simplex antimonium diaphoreticum. Joviale descriptum est §. XXII. Martiale vero ita paratur: Recipe reguli antimonii martialis, cum nitro parati, partem unam, contunde, misce cum triplo nitri contusi, & massam simili modo tanquam antimonium diaphoreticum tracta, sic impetrabis post edulcorationem calcem luteam, remedium laudatum in morbis chronicis pertinacissimis, terra enim martis & antimonii simul cum sale alcali fixissimo inseparabili acidum absorbent, saliaque corrosiva in media murant, sic sanguis redditur floridus & subtilisatus, causa coaguli eliminatur, obstructionsque referantur.

Anti-

Antimonium & nitrum, si anatica proportione miscentur ac funduntur, dant massam fuscam, quæ dicitur crocus metallorum. Si hic crocus & crystalli tartari sumuntur proportione anatica (v.g. uncia una) & aquæ simplicis proportio decupla ad unum, sive ad pondus duorum simul sumtorum quintupla (unciae decem) coquuntur, lixivium filtratur, evaporatur, & in loco frigido crystallisatur, (a) oritur notissimum illud remedium, quod tartarus salutatorius emeticus, cujus dosis sunt grana tria. Præ aliis vomitorii ex regno minerali paratis est tutum: salia enim arsenicalia dupli modo sunt correcta; melius tamen ac tutius cum radice Ipecacuanha miscetur, quam solus propriatur.

## §. XXXV.

Per sublimationem præparatur butyrum præcipue & cinnabaris antimonii, si nempe mercurius sublimatus & antimonium ana sumuntur, & in retorta vitrea igni arenæ imponuntur, tunc primo venit butyrum, quod in variis, ut infra videbimus adhibetur laboribus, paulo post venit mercurius, tandemque in fine cinnabaris, quæ vero, cum ex prima sublimatione satis impura impetratur, purificatur additione salis tartari, novaque sublimatione, ac illa sublimatio bis vel ter, novum sal addendo, reiterari potest: semper enim melior evadit cinnabaris (a). Hæc

I 2

cim.

(a) Evaporatione & cristallisatione pergitur, donec nihil remaneat, tunc omnia crystalla trituratione miscentur, alias enim non semper effectus cum spe convenit; alia etiam crystalla sunt fortiora, alia debiliora vid. NEUMAN prælect. chym.

(a) Plura reperiuntur in Excellentissimi TEICHMEYERI chymia pag. m. 148.

cinnabaris rite parata omnibus aliis palmam præripit: salia enim illa acida ac corrosiva abeunt cum butyro, salia vero ac sulphura antimonii ac vitrioli fixiora remanent in cinnabari simul cum partibus mercurialibus: ac si quis esset, qui salia cuncta, quantum fieri potest, separare vellet, ille cinnabari contusa, additaque aqua tepida, per agitationem hoc facile impetrare posset. Butyrum antimonii per se aëri humidiori expositum, abit in oleum per deliquium valde corrosivum, quod adhibetur externe tanquam cauterium (certe acutissimum). Si hoc oleum aquæ instillatur, præcipitatur calx alba, quæ aqua affusa edulcoratur & dicitur a nonnullis mercurius vite, ab aliis vero, ob effectus lethiferos, mercurius mortis. Vis ejus vomitoria in minima quoque dosi est fortissima: salia enim illa maxime corrosiva ac constringentia mercurii sublimati tam intime cum substantia regulina mixta sunt, ut nullo balneo ex aqua simplici cedant, illamque ob causam haud raro erosionem ventriculi, vomitus cruentos, gangrenam ac sphacelum efficiunt, ægrotumque cum insigni cruciatu ad umbras horridas promovent. Si aqua illa, cui antimonii oleum fuit instillatum, destilletur, separato phlegmate assurgit in fine striatim spiritus virrioli philosophicus. Si oleo antimonii aqua fortis seu spiritus nitri, seu spiritus flammificus instillatur, donec ebullitio, quæ in principio magna est, plenarie cessat, ac illa mixtura destillatur in retorta usque ad siccitatem, (cavendum vero ne massa fluat) impetratur corpus terreum, quod si condititur, & in tigillo plano (auf einer Ansiede-Scherbe) tenuissime expanditur, candescit in furno docimastico sub catino fornicato, eoque momento si tota massa est ignita remo-

removetur, oritur medicamentum, quod bezoardicum audit minerale. Hocce medicamentum refracta dosi, & cum aliis mixtum haud spernendum est, præsertim si ulterius aqua affusa edulcoratur: nam salia corrosiva abeunt in destillatione, & quod adhuc remansit, expellitur igne, tandemque abluitur aqua. In paucis vero officinis genuine reperitur; etenim pharmacopæi corpus in retorta remanens non tigillo plane expandunt, sed in crucibulo ignitum faciunt, sic illa massa, quæ in fundo ac circa latera reperitur, igne aucto funditur in regulum, & fit emeticum; illa vero quæ in medio est non candescit, unde salia corrosiva fixiora remanent, venenumque cum emetico uno propinuant ægroro præbio, loco bezoardici. Per detonationem antimonii cum salibus mixti in retorta tubulata, colligitur in vase recipiente clyssus antimonii, qui etiam a nonnullis interne in usum vocatur. Melius vero actum erit, si per crebriores cohobationes, novasque additiones bona separantur a malis, tunc egregium apparebit remedium in morbis quoque acutissimis. Huc recensita medicamenta sint notissima, ex antimonio præparata; & licet multa adhuc sunt alia, illa tamen omittimus, nosque ad cetera semimetalla convertimus.

§. XXXVI.

Cetera semimetalla sunt: Marcasita, Bismuthum & Zincum. Hæc tria maximam inter se habent convenientiam. Marcasita est genus, Bismuthum & Zincum sunt species. Nihil aliud autem sunt, quam metalla immatura, quæ paulo majori gaudent fixitate, quam antimonium. Marcasita in omnibus fere metalli fodinis reperitur, ac mercurio immaturo copiosiori abundat.

Bismuthum est marcasita præ ceteris pura, quæ ex jovis mineris adducitur, eaque est genuina. Ars vero hac quoque in re æmulatur naturam, ac chymici ex stanno cum additione salium simile productum, quod difficile a genuino bismutho distinguitur, producunt. Zincum sive Zincium est etiam species marcasitæ, magis vero præ ceteris plumbeam æmulatur naturam, dissolvitur quoque in acero destillato & dat productum saccharo saturati simile, multo vero durius, splendidius, candidiusque est, quam vulgare plumbum esse solet. Hæc tria semimetalla huic usque parum sunt nota. Marcasita a non-nullis dicitur Bismuthum ac Bismuthum marcasita, alii putant esse productum naturæ, alii, ac præsertim ROMET, putant marcasitas arti ortum debere. Copiosissime vero in terra invenitur, ac nullum est metallum, quod non antea fuit marcasita (§. III.). Quo purior vero fuit terra, quo major caloris gradus, eo melior producitur marcasita, ac illa est optima, quæ ceruleo nitore imitatur colorem colli columbini; licet autem copiosissime in laboratorio illo magno subterraneo elaboretur, laboratoria tamen chymica non exclusa sunt, quod simile non producere possent: ars enim semper naturam æmuletur necesse est. De Zinco diu disputatum fuit, an sit Cathmia antiquorum? hodie vero omnes hac de re certi sunt. Zincum si calcinatur, oritur Cobalthum, venenum arsenicale, ex quo paratur per sublimationem arsenicum album, (XLI.) dat quoque smalatum. Quod attinet ad usum horum semimetallorum medicum, ille certe exiguum est: interne enim nulla ruta medicamenta ex iis

para-

parata mihi nota sunt; externe vero notum est magisterium, si nempe sive marcasita, sive bismuthum, sive Zincum solvitur spiritu nitri rectificato, ac tunc cum oleo tartari per deliquium solutio præcipitatur, eduleoratur ac exsiccatur, ea ratione oritur remedium externum in ulceribus cancerosis, venereis, aliisque mali moris proficuum, quod applicari quoque potest in ulceribus, morbisque faciei, ut serpigne, varis, gutta rosacea aliisque bono cum effectu, si dilutur aqua sive simplici, sive destillata. A nonnullis quoque sexus sequioris libidinis, quæ nitorem faciei augere, juvenesque forma sua delicata ad se invitare volunt, facies hoc magisterio, tanquam cosmerico perpetuo fôrdidatur; si vero usum diu continuant, pena illis imponitur justissima: nitor enim faciei permultis squamulis fuscis obscuratur, rugisque, & plicis depravatur. Maximam enim affinitatem hocce cosmeticum habet cum saccharo saturni, illamque ob causam vasâ minima constringuntur, sic nutritio perit, cuticula emoritur ac in forma squamularum separatur, partes carnosæ collabescunt ac rugae oriuntur. Hocce quidem magisterium a nonnullis quoque interne commendatur, sed ab iis, ut credimus, nunquam in usum vocatum fuit, ac nos quoque nunquam tentabimus.

## §. XXXVII.

Mercurius, uti (§. XXX.) dictum fuit, mineralibus jure adscribitur; nam ex metallis, semimetallis ac mineralibus producitur arte, ac non pertinet ad metalla & semimetalla, secundum illorum definitiones. Mercurius autem est corpus fluidum, ac inter fluida gravissimum, quod si attingitur, manus non madefacit. Mercurio omnia

omnia metalla, excepto auro, supernatant, ergo quoque mercurius omnia metalla, excepto auro, gravitate specifica superat, & ob gravitatem specificam majorem manibus etiam nostris non adhaeret. In signo mercurii ♋ omnia reliquorum signa reperiuntur, simulque signum acidi adest, quod imperfectiones mercurii indicat. Mercurius ex omnibus metallis arte producitur, (a) an vero mercurius currens, uti in officinis ac materialium musæis reperitur, per artem in metalla, præsertim nobiliora converti possit, quæstio est altioris indaginis? Philosophi quidem semper in scriptis suis loquuntur de mercurio: multi vero non omne solum vitæ tempus, sed & omnes opes cum laboribus in mercurio & auro consumserunt, ac nil nisi fumum, fucumque adepti sunt. Multi quoque Philosophi aperte dixerunt, mercurium vulgarem non esse materiam veram lapidis philosophici (b).

Mer-

(a) In BECHERI Physica subterranea fusissime hac de re agitur, ac possiblitas variis veris experimentis sole clariss monstratur; hoc quoque fecit B. STAHLIVS in chymia sua dogmatica & experimentali

(b) Hoc fecit præ alii autor scripti, cui titulus est vñralter Ritter Krieg, in quo aurum, mercurius ac materia lapidis disputant; probat vero neque aurum, neque mercurium veram esse materiam: de materia vero dicit, illam esse rem vilem, draconem venenosum, inimicum hominum ac metallorum. P. 36. loquitur de mercurio: volatilitatem ejus esse essentiale, ac nunquam fieri posse, ut remaneat in igne. Ac hoc certe verum est; quapropter etiam dicitur servus fugitivus; mercurius enim, durissimus licet carceribus clausus, vincula tamen igne fortiori admoto, diffundit, ac in auras abit. Qui vero mercurium ita domaret,

ut

Mercurius vel in fodinis metallicis fluidus invenitur, vel per artem ex cinnabari impura educitur. Prior est optimus, eaque de redicitur virginatus; alter paratur, si cinnabaris miscetur proportione anatica cum limatura martis, vel sale quoque tartari, ac in retorta igni imponitur, tunc sulphur, quo mercurius ligatus erat, illa arripit corpora addita, mercurius igne expellitur ac colligitur in vase recipiente aqua simplici repleto. Si hic mercurius sale & vitriolo additis iterum sublimatur, priorique modo reducitur, & hic labor repetitis vicibus suscipitur, tunc acquiritur mercurius depuratissimus, qui, a crassioribus terrefribus partibus liberatus, eo cirius ac efficacius praestanda in corpore praefat. Alias quoque purificatur, si per corium pellitur, vel si cum sale communi tam diu tritura tur, donec omnis nigredo cesse. Mercurius ipse crudus interne assumitur ad libram unam, unam cum dimidia, ac interdum in majori quantitate, in ileo sive volvulo, ac subinde proficiens est, si morbus non herniae incarceratae & constrictioi intestinorum, sed eorum circumvolutio ni & invaginationi, aut valvula coli retropresso originem debet. Sed non raro pertimescendum est, ne colligatur in loco valvulo, ac gravitate sua premente intestina disrumpat. (c) Ex mente nonnullorum minori quoque in-

terne ut maximam ignis torturam sustineret, ille felix esset, sed est Hercules labor, sunt nodi gordii. Hac de causa quoque a nonnullis dubitatur, an mercurius vulgaris sit aqua manus non madefaciens philosophorum, an vero sit materia lapidis philosophici, jam diu in igne tractata, ac in Gur metallicum reducta?

(c) Hocce remedium est dubium, illam ob causam nosquam est

terne adhibetur dosi, v. g. in pilulis; (d) ast tunc mercurius se insinuat ob gravitatem rugis, plicisque ventriculi, illum valde aggravat, tandem acrebine, si qua adeat, solvit, ac in mercurium quasi sublimatum mutatur, qui malæ fævissima corpori inducere valet. Quare usum mercurii crudi internum in exigua quantitate omnibus dissuademus. Externe contra mercurius terebinthina seu alii pinguibus extinctus, in forma unguentorum & emplastrorum, ulceribus venereis, aliisque mali moris proficiens est. Cavendum vero, ne justo majori adhibeatur quantitate, quoniam alias tumorem facie, exulcerationem glandularum salivalium, ipsamque salivationem excitare valet.

### §. XXXVIII.

Multa ex mercurio parantur medicamenta, præser-tim varia ab eo præcipitata nota sunt. A nonnullis per se præcipitatur mediante igne digestorio; alii solvunt mercurium vivum aqua forti, vel spiritu nitri, & addendo solutionem salis communis, impetrant mercurium præcipitatum album. Hic idem impetratur, si mercurius sublimatus aqua simplici solitus, præcipitatur spiritu salis ammoniaci; si vero illa solutio oleo tartari per deliquium præcipitatur, oritur mercurius præcipitatus luteus, seu turperhum flavum, cum superius præcipitatum appelleretur turperhum album. Si solutio mercurii cum aqua

est adhibendum, quam in extremo vita periculo, tunc enim agrotus, si jam attingit limina mortis, & nullum adhuc tutum remedium restat, quod applicari possit, melius est dubia adhibere remedia, quam nulla.

(d) Vid. SCHROEDERI thesaurum pharmaceuticum.

aqua forti instituta, urina recenti præcipitatur, oritur mercurius præcipitatus roseus. Venere & mercurio aqua forti solutis, & menstruo per destillationem avocato, remanet mercurius præcipitatus viridis; si a mercurio aqua forti soluto menstruum separatur destillatione, & massa usque ad rubedinem igne tractatur, impetratur mercurius præcipitatus ruber. De cunctis hisce præparatis noratu dignum est, illa omni modo possibili a salibus per aquam affusam liberanda, & modo externe in ulceribus malignis, ac præsertim venereis esse adhibenda, maxima tamen cum cautione, ne sanguini admisceantur; alias salia illa corrosiva, quæ intime cum iis juncta sunt, exulcerationes in glandulis, ac in primis in salivalibus creant, ipsamque salivationem inducunt. Atque his de causis nunquam locum interne inveniunt: nam ob gravitatem se rugis, plicisque ventriculi insinuant, illumque ob salia irritant, ac interdum non vomitum solum, sed & inflammationem valde periculosam pariunt, quod in iis præsertim sit subjectis, in quibus acidum peccat. Ex mercurio præcipitate rubro, si ter quaterve de eo cohobatur spiritus nitri, illeque contusus aqua calida edulcoratur, & tandem per spiritus vini deflagrationem, quantum fieri potest, a salibus liberatur, sit aurum sic dictum horizontale, sive arcanum corallinum, quod interne a nonnullis laudatur: ni vero hoc pertinet ad insecura medicamenta, inter dubia tamen erit referendum. Multa quidem adhuc alia sunt mercurii præcipitata, sed nullum adhuc videmus ab omni corrosivitate liberum, ac si ulla quoque corrosivitas sapore non percipitur, dormit modo, ac in corpore, si salia adveniunt acida, resuscitatur.

K 2

Quam

Quam ob rem etiam nullum mercurii præcipitatum interne commendamus.

§. XXXIX.

Per sublimationem ex mercurio venenum illud fortissimum, quod mercurius sublimatus audit, paratur. Modus præparationis vulgaris sequens est: recipe capitis mortui vitrioli partes quatuor, salis communis partes duas, sive vitrioli & salis ana partes duas, mercurii vivi partem unam, confere in mortario vitro, donec mercurii granula non amplius compareant; institue sublimationem in cucurbita vitrea igne forti, sic fit mercurius sublimatus crystallinus atque splendens. Hic mercurius sublimatus a nonnullis (a) interne commendatur ad salivationem excitandam: cavendum vero, ne mors excitetur: mercurius enim sublimatus ex consensu omnium est venenum acerimum, illamque ob causam nunquam interne est adhibendus. In primis vero nervis non hic solum, sed & omnia fere mercurialia illegitime parata, sunt infesta (b). Ex mercurio sublimato mercurius dulcis, sive Draco mitigatus paratur, si mercurius sublimatus (c) cum mercurio vivo intime mi-

(a) Vide HERMANNI cynosuram materiæ medicæ: ille enim commendat p. m. 327. mercurium sublimatum, succo glycyrrhizæ inclusum, ad grana duo pro una dosi, sed credimus, HERMANNVM nunquam periculum fecisse. P. m. 326. enim ait de mercurio sublimato: interne rarissime exhibetur, quia venenis acerimis merito annumeratur.

(b) D.D. SCHOTT. Diff. inaugur. sub præsid. B. HOFFMANNI de medicamentis insecuris. p. n. 33.

(c) Mercurius sublimatus, qui adhibetur in præparatione mercurii dulcis, a chymico ipso elaborandus est: ille enim, qui in officinis, ac materialistarum reperitur musæis, ut plurimum

scetur trituratione, vel quod optimum proportione anatrica, vel partes octo prioris & sex posterioris, cucurbitae immittuntur ac sublimantur. Si prima sublimatione non omnis acrimonia est desperita, reiteratur secunda, interdum quoque tertia, usque ad dulcedinem, albedinemque. In hoc labore nemo peccabit, si proportione anatrica, aut supereminente quoque, mercurium vivum addit sublimato: nam in labore mercurius vivus superfluus expellitur, ac medicus tunc certus est, acidum corrosivum salium mercurii sublimati per alcali mercurii vivi, plenarie saturatum esse. Mercurius dulcis ita paratus, egregium est medium antivenereum, ac optimum, tutissimumque pro salivatione inducenda; semper tamen maxima cum cautione est adhibendus, ac nunquam in pulvere, sive forma liquida propinandus, ut viri doctrina & experientia præclarri recte monent (d). In pilulis enim sensim sensimque dissolvitur, ac abit ad intestina; si vero in pulveribus, vel in forma liquida assimilatur, statim in ventriculo ob gravitatem specificam fundum petit, ac se plicis tunicae villosæ ita insinuat, ne facile detergatur. Dosis ab autoribus diversissime describitur: a nonnullis drachma semis præbiuum ejus esse summum affirmatur, ab aliis scrupulus unus una vice sumi posse fertur, alii scrupulum semis pro dosi summa commendant, alii contra illam quoque dosin limites transgredi putant, & modo grana tria, vel ad summum sex commendant. Ac si, quod res est, di-

K 3 cere

mum arsenico est inquinatus, & tunc, si optime quoque secundum regulas paratur, semper tamen degenerabit.

(d) LEMERY cursus chymicus p. m. 235. D. D. SCHOTT Diff. inaugur. sub præsidio Beati HOFFMANNI de medicamentis insecuris p. m. 82. seq.

cere volumus, tunc illorum sententiae subscriendum es-  
se censemus, qui minimum laudant præbium: medica-  
menta enim non semper (uti recte monet beatus WEDE-  
LIUS) agunt secundum activitatem, sed secundum re-  
ceptionem; si vero mercurius dulcis corpus intrat, quod  
cruditatibus acidis inquinatum est, tunc illæ mercurio ad-  
sociantur, æquilibrium tollitur, dulcedo evanescit, ac vene-  
num dirissimis symptomatis, quæ interdum coërceri ne-  
queunt, (e) proditur. Qua de re multi satis experti loquun-  
tur; (f) multis draco sic dictus mitigatus, majori præbío as-  
sumtus, vinculis disruptis, larvaque pristina demta, feroci-  
tatem suam, cum vita, sanitarisque detimento persape-  
mon-

(e) His quoque de causis optime ait Celeberrimus BONTEKOE  
in fundamentis medicinæ p. m. 64. Mercurius dulcis non  
tam dulcis est, ut vulgo putatur, quia immoda dosi simi-  
lus in venenum degenerat. Ill. TEICHMEYERVS in Medicina  
sua legali p. m. 165. mercurium dulcem venenis annu-  
metat, aliisque virti de republica medica optime meriti pa-  
rum aliter sentiunt.

(f) D. D. WAGNITIVS in meditatione medica curiosa de  
mercurio dulci pulverisato Quedlinburgi 1702. testatur,  
mercurium dulcem, rite paratum, sub forma pulveris ad  
grana quindecim, adolescenti sano quindecim annorum ex-  
hibitum, vomitum, anxietates, tremorem, contracuturam  
que artuum, ac sexto tandem die mortem comites habuisse.  
Plura hac de re exempla tristia in dissert. inaugur. D. D.  
SCHOTT. sub præsidio B. HOFFMANNI p. m. 30 seq. legi  
possunt. Ill. SCHVLZIVS in prælectionibus ad Dispensat.  
Brandenb. p. m. 183. a mercurio dulci, externe ad gr. JF. cum  
aqua calcis vivæ viceri injecto, salivationem esse productam  
tradit, simulque allegat Commerc. literar. phys. medic.  
Ann. I. p. 411 412.

monstravit. Melius itaque est, si minima modo assumitur dos: nam semper tibi licet adscensus per scalam, & facile majora tentari possunt, si minora nihil efficiunt. Mercurius dulcis saepius sublimando corrigitur, alii tamen addunt eidem subtilissime pulverisato spiritum vini, ac digerendo per mensem, spiritum abstrahendo, mas- famque exsiccando, præparant mannam mercurialem, me- dicamentum, quod ipso quidem mercurio dulci, com- muni parato modo, tutius est, quod vero non omni periculo caret, præsertim in pulveribus ac dosi majori exhibitum. Ex mercurio etiam per sublimationem pa- rari solet cinnabaris, si nempe sulphur additur: Recipe sulphuris communis partem unam, funde, ac adde mer- curii partes tres, fusionem continua, donec nullus am- plius apparere mercurius: hanc massam tere atque subli- ma ex sublimatorio lutato, in fine auge ignis gradum, sic impetrabis massam duram, valdeque rubicundam. Pari fere modo paratur æthiops mineralis, si nempe mercurii vivi partes quartuor, & florum sulphuris par- tes duæ, vel tres, in mortario vitro miscentur, donec omnis mercurius dispreat, & a sulphure extinctus sit. Hocce medicamentum præ aliis mercurialibus est tutum: arctissime enim ligantur partes nocivæ mercuriales a sulphureis, ut difficile sine additione ab illis liberentur. Virtutes cum cinnabari fere similes habet, ac mutari quoque potest per sublimationem in cinnabarim.

## §. XL.

Cinnabaris est corpus rubicundissimum, ex sulphu- re & mercurio constans: dividitur in nativam & facti- tam. Nativa est, secundum STAHLIUM, metallum im- matu-

maturum; atque (a) Hungarica, Hispanica & uno verbo illa, quæ circa mineras aureas reperitur, optima est. Factitia est vel solaris, vel lunaris, vel antimonii, vel mercurii; omnis vero oritur a mercurio sulphure ligato. Cuncta itaque corpora, quæ dant mercurium, dant quoque cinnabarim; interim tamen cinnabaris antimonii ac mercurii frequentissime usurpantur. Cinnabaris quo prius, eo melior est. Sunt nonnulli, qui cinnabarim mercurii pro interno usu non commendant: qua vero ex ratione, nos fugit; siquidem, ad salivationem inducendam, non sufficit: in omni enim cinnabari est mercurius, quod pater per experimenta chymica. Si una itaque cinnabaris salivationem inducit, hincque e medicina eliminanda est, tunc omnes e medicina relegandæ sunt. Cinnabaris vero rite præparata, ac præbio decenti exhibita, ideo salivationem non excitat, quia valde refrenatur a sulphure.

## §. XL.

Multa certe sunt alia corpora mineralia, quæ terræ visceribus reclusis apparent, & adducuntur, neque omni usu medico vacant; quare multa de iis scribi possent. Quoniam vero mens nostra neque est librum compondere, neque omnia mineralia perlustrare, sed modo metallæ ac semimetalæ, illorumque medicamenta; hinc pauca modo loquamur de arsenico. Arsenicum dividitur in album, flavum & rubrum. Album sublimatur ut plurimum ex cobaltho: nativum enim perrarum est (a). Quo

(a) Vid. III. STARLI. Chymiam p. m. 103. pu-

(a) Hic dicimus arsenicum nativum perrarum esse, & (§. III.) dixi-

ptiora sunt cristalla, eo melius est arsenicum album. Flavum & rubrum parantur ex albo per additionem sulphuris; & e fodinis quoque metallicis adducuntur. De arsenico flavo adhuc disputatur, an sit auripigmentum, an aliud corpus. Omnia arsenici genera sunt venena. Album est fortissimum, quod minima quoque dosi assumptum, homines enecat; quamobrem nullum arsenici genus interne in usum est vocandum, omniaque in officinis nota, ex arsenico praeparata, pro suspectis habenda sunt. Sunt quidem nonnulli mulo medici ac circumforanei, qui illo utuntur interne, in febribus, phthisi, asthmate, aliisque morbis; credula vero plebs, manes suos anticipando, justam non solum credulitatis solvit pœnam, sed illi quoque homines miserrimi, qui per totam vitam vagabundi sunt, omnes fere regiones ac urbes

L trans-

diximus: omnia metalla, priusquam ad perfectionem venire, in primo fixitatis gradu, fuisse arsenicum, facile itaque quis putabit nos commississime contradictionem, sed res sic se non habet, arsenicum enim, uti in officinis & materialium musæis reperitur, album, splendens, crystallinum ac purum nativum, rarum est, illius vero, quod in terris est, minima pars metallariorum notitiam habet, mixtum enim cum terra, minerans cobalthi repræsentat, ac in illa quoque reperitur, sicuti ipsa quoque metalla mineris includuntur, ac tandem ab artifice bona a malis separantur. Effectus vero lethiferi sat manifeste arsenicum in terris esse produnt, hoc apparet ex speluncis sic dictis venenatis, in illis enim homines ab exhalationibus arsenicalibus ac sulphureis suffocantur, ac in ipsis metallisodinis multi his effluviis enecantur, tunc dicunt metallarii socium a Cobaltho (hoc sunt effluvia arsenicalia, non vero manes ac genii fodinarum, uti dicuntur Berg-Geister) esse strangulatum.

transcurrunt, ubique credulis imponunt, tandem gravissimo lapsu ruunt ad interitum. Externe commendantur cuncta arsenici genera in ulceribus cancrofis, spaceulo, aliisque, & psilotricis quoque annumerantur, melius vero est, si præparata & aliqualiter a corrosivitate libera applicantur, quam si cruda sint. Tali modo paratur magnes arsenicalis, ex arsenico, antimonio crudo, & sulphure proportione anatica, si funduntur in scoriam vitri formem; quod præparatum etiam ingreditur emplastrum magneticum, in bubonibus pestilentialibus valde proficuum.

### §. XLII.

His peractis immensa appetet medicamentorum, ex metallis præparatorum, farrago, inter quæ exiguis certe illorum est numerus, præsertim ex nobilioribus metallis, quæ dira morborum agmina debellare, palnamque deportare valerent. Multo major vero illorum est copia, quæ non modo nihil prosunt, sed morbo etiam nutrimentum suppeditant, viam morbificam augent, symptomata deteriora reddunt, mortemque accelerant. Cetera autem omnia indigent cautione in elaborando non solum, sed etiam in applicatione. Oprandum igitur esset, ut quæ prosunt, corpori humano metallica, a nemine præparentur, quam a chymico exercitato, neminiisque illa applicare licitum esset, quam medico prudenti ac erudito, ceteris omnibus ex pharmacopœa eliminatis. Hoc vero pia sunt desideria, præparatio enim in multis officinis sat negligenter peragitur, ideoque medicamentum, alias tutum, multoties sit periculosisimum. Quoad applicationem vero plura, medica-

dicamenta licet optime parata, in se tamen, perniciosa,  
a medicis nonnullis in usum vocantur, qui purant, studi-  
um chymicum in eo tantum consistere, ut hanc vel il-  
lam compositionem faciant, sive aquam quandam destil-  
lent, doctrinam vero de resolutione & mixtione corpo-  
rum cum igne & menstruis, ad absurdia alchymica rej-  
ciunt. Hinc a lippis etiam ac tonsoribus illegitimo mo-  
do parata adhibentur, ac pro universali panacea, si  
qua datur, & non potius mortiferum remedium dicen-  
dum est, audacter vendantur. Si vero hi homines, qui-  
bus nulla de re medica est solida scientia, modo cogita-  
rent, cum hominibus sibi rem esse, si cogitarent, Deo  
tanquam arbitro justissimo rationem esse reddendam, o-  
mniū factorum, ac sic quoque sanguinis hominum, me-  
dicamentis sinistre elaboratis, aut applicatis enecatorum;  
tunc, uti credimus, si minimam modo pietatis scintillu-  
lam erga Deum, proximum, ac semet ipsos in peccatore a-  
lerent, medicamenta non tam leviter præparaturi, tamque  
per quam applicaturi essent. Objici quidem nobis posset:  
sunt tamen nonnulla medicamenta metallica, quæ vos car-  
bone notatis, ac interdum effectus præstant exoptatissi-  
mos. Sed respondemus, aut medicamenta sunt periculo-  
sa, & dubia, ideoque vitanda, aut morbus cessat non a  
medicamento, sed ab aliis causis naturalibus; tumque  
medicamentum aut nihil præstirit, aut agit lentissime cor-  
pus destruendo; utiv. g. saccharum saturni vasa obstruit,  
mortemque sensim sensimque inducit.

Hæc sunt, CANDIDE LECTOR, quæ temporis ac  
virium nostrarum ratio, de medicamentis metallicis, illo-  
rumque effectu in corpore humano differere, permisit.

**N**os, ut pro tua benevolentia hos nostros conatus æqui  
bonique consulas, & ubi forsan erravimus, id materiae  
difficultati, annorum nostrorum exiguitati, humanæque  
mentis imbecillitati adscribas, enixe rogamus. Interim  
vero TIBI, summe moderator olympi grates persolvo,  
quas debo, maximas, pro tua ineffabili clementia: Tu  
enim mihi non solum a primo vitæ halitu adfuisti, ac res  
meas optime direxisti, sed tu quoque ad huncce laborem  
perficiendum mihi vitam sanitatemque dedisti cle-  
mentissime. Sit igitur TIBI

**D E O S O L I G L O R I A**  
**A C L A U S I N A E T E R N U M.**

---

**P RÆN O B I L I S S I M O A T Q U E D O C T I S S I M O**  
**D O M I N O C A N D I D A T O**

S. P. D.

D. THEODORUS ERNESTUS GROHMANN.

**L**AUDANTUR ab his, culpantur ab illis, medicamenta,  
quæ arte parantur chemica. Vix enim ulla tam  
egregia, tamque eximia mente cogitari aut con-  
cipi potest prædicatio, quin tribuant chemici essen-  
tiis suis, Elixiriis variis, Magisteriis, Mixturiis, Tin-  
eturis, suisque Spiritibus & multis aliis satis quidem  
laboriosis ac sumtuosis, haud tamen æque congruis  
& utilibus artis suæ productis. Varia autem vario-  
rum de iisdem sententia. Sunt, quibus nomina tan-  
tum

tum & precia medicamentorum arrident, et si vires  
& effectus minime iis respondeant. Sunt vero et-  
iam alii, qui errore, nescio quo, dueti, animique  
fervore detenti, omnia medicamenta chemice præ-  
parata e praxi clinica eliminanda censem, imo jubent.  
Quærimus igitur de indignationis hujus caussis, tanti-  
que odii rationibus, accipimus tanquam eorum præ-  
cipua argumenta, quod nimiam vim inferant corpo-  
ri, ejusque vires maxima ex parte debilitent atque  
consumant. Quid cererum sit medicamentum che-  
micum, aut quæ ejusdem sint principia, lubentissime,  
audacissimeque ignorant. Interim tamen ejusmodi  
artis salutaris aestimatores haud verentur, palam af-  
serere & ubique pronunciare, huic vel illi agrotanti  
medicum prebuisse chemica medicamenta, iisdem  
que mortem accersisse. Egregium vero judicium,  
& ita rem medicam dijudicantibus modo dignum.  
Sed hæc longius prosequi animus non est. TIBI po-  
tius, DOCTISSIME DOMINE CANDIDATE,  
eruditioñis TUÆ sat exquisitæ insigne gratulor speci-  
men, in quo medicamenta e regno minerali desum-  
ta tractasti, & eorum parandi utendique solidissimam  
tradidisti rationem, quo magis secura in posterum ars  
nostra uti iisdem possit. Gratulor itaque TIBI, no-  
vos honores; Patriæ, practicum elegantissime do-  
ctum, satisque expertum; Agrotis denique, medi-  
cum felicissimum, certissimumque valetudinis laba-  
scentis restauratorem. Quod reliquum est, mei me-  
moriā commendo, TUI recordationem nunquam  
depositurus. Halæ Magdeburgicæ d. XXX.

Aprilis clœ 15cc xxxxiii.

L 3

NOBI-

N O B I L I S S I M O  
DOMINO CANDIDATO  
AMANTISSIMO SUO AVUNCULO  
SALUTEM  
IOANNES RHODIUS,  
Illustr. Regim. Schwartzburg. Advocatus.

M *Ihi quidem propositum erat, TIBI, sororie CARISSIME, Doctoris in arte medica ambienti gradu, aliquo carmine de honore isto gratulari: hoc enim & mos antiquus, &, quæ mihi TECVM intercedit, necessitudo exposcere videbatur. Sed quoniam, quod in proverbio dicitur: poëtæ nascuntur; ego vero a poëtice, poëtico a natura destitutus genio, semper fui alienus, mutavi propositum, & abstinendum potius, quam, incultis & male natis versibus, Musas mihi iratas reddendas existimavi. Attamen prorsus ut raccam, vinculum, quo TIBI obstringor, haud permittit. Feci igitur, quod potui, & gaudium, quod ex decreatis TIBI honoribus cepi, his literis volui significare, illosque TIBI, qui TE merito amo, non in speciem atque ex more, sed ex intimis cordis penetralibus, gratulari, certe persuasis, TE studium magis, atque affectum, quam scribendi genus ac modum aestimaturum. Dicere profecto non possum, quanta sim perfusus laetitia & voluptate, cum resciverim, ab Inclito Medicorum Halensium Ordine TE ad consueta examina admissum, & brevi futurum, ut summi medicæ artis honores TIBI deferrentur. Enimvero sororium habere virtutibus præditum, atque honoribus florentem, tam perjucundum est,*

est, quam oppido gloriosum. Nolo tamen in præsen-  
ti sermonem cum prædicatione laudum tuarum institue-  
re, ne vel amori erga TE meo nimio plus indulsisse,  
vel quod a reprehensione abesse non posset, assentari  
TIBI voluisse videar. Et sane quidem TE satis lauda-  
vero, si dicam, ita TE esse in Academiis versatum, ut  
vel summorum virorum benevolentiam promerueris,  
& bonis omnibus TEMET probaveris. Quod supereft,  
precor summum Numen, ut in posterum quoque sua  
gratia TIBI affistere, tuaque studia, & cunctas actiones  
tuas ad sui nominis gloriam, tui commodum, proximi-  
que salutem ac sanitatem dirigere velit. Cura, ut va-  
leas, & salvus ad nos redeas, ac fave. Francohusæ, VI.  
nonarum Maj. An. MDCCXLIII.

**H**imm Freund dis Dir geweyhte Lied,  
Aus den von Lieb entbrannten Händen.  
Hygæ die sich längst bemüht  
Das frant und sieche Blut Dir nunmehr zu verpfänden;  
Da die den Arzt durch Kunst und Fleiß  
Aus Staub und Moder oft erhoben,  
Schenkt Dir dis Blat, dis Lorbeer-Neiß,  
Um Dich und Dein Verdierst zu loben.  
Wie, wenn so West als Sonnen Stral  
Der Blume schwangere Knospe röhret;  
So, daß sie quillt und überal  
Das annuths volle Laub aus ihren Schoß gebieret;  
So lockt Dein Glück, Hygæns Lust,  
Aus mir die längst verborgnen Triebe,  
So bricht aus der getreuen Brust  
Die Regung unverfälschter Liebe.  
Drum kommt ihr Musen helfst, und weiht,  
Weiht eurem Sohne eure Flammen!

Be



Beglückt den Tag der Ihn erfreut,  
Werft eurer Wünsche Glück und Weprauch hier zusammen.

Mein Geist soll sich zum Sternen Pol

Mit Flügelschnellen Zuge schwingen,

Mein Flehen soll jetzt für sein Wohl

Hinauf bis zu der Gottheit dringen.

Erweite Meditrinens Feld

Bis man den Tod, der Kranken Plage,

Den Feind der unbegränzten Welt

Einst (ohn Gesang und Klang) durch Dich zu Grabe trage.

So wird kein kalt und rauher Nord

Die sanfste Morgen-Ruhe stöhren;

So wird man bey Dir immerfort

Von nichts als lauter Seegen hören.

P. C. Eschoertner. M. C.

Opponens.

**S** Glück zu den Doctor-Hut! mehr will der Raum nicht fassen.

Mein Herz schliesset Dich, mein Freund auf ewig ein,

Und wenn dasselbe gleich vereinsten wird erblassen;

Soll doch die Asche noch der Freundschaft Zeuge seyn.

J. H. Dender. M. C.

Opponens.




01 4 6529




Rehov





DISSTATIONEM INAUGRALEM MEDICO-CHYMICAM,  
 DE  
**NONNULLIS  
 MEDICAMENTIS  
 METALLICIS  
 ILLORUMQUE  
 EFFECTU IN CORPORE HUMANO.**  
 AUTORITATE AC CONSENSU GRATIOSI  
 MEDICORUM ORDINIS  
**PRO GRADU DOCTORIS,**  
 SUMMISQUE IN ARTE MEDICA PRIVILEGIIS  
 LEGITIME CONSEQUENDIS  
 D. MAJI AN. CICIOCCXLIII.  
 PUBLICE DEFENDET  
 IOANNES GODOFREDUS WENDELIN,  
 FRANCOHUSA-SCHWARZBURGICUS.



HALAE MAGDEBURGICAE,  
 TYPIS IO. CHRIST. HENDELII, AC. TYP.

